



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Evangelistarivm M. Maruli Spalaten. opus vere
euangelicum, sub fidei, spei & charitatis titulis in septem
libros partitum**

Marulić, Marko

Coloniæ, 1532

VD16 M 1298

De fide Liber I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35578

EVANGE

LISTARII MARCI MARVLI VIRI
in euāgelicis literis exercitatissimi liber primus, quod
verissima sint, certaq; fide amplectenda, quæ Moses &
prophetæ, quæq; Christus & apostoli diuino afflari spi-
ritu tradiderunt, edocens: aliæq; plura Christi præcla-
ra complectens dogmata: quæ videlicet accommoda-
tius sub fidei titulo digeri visa sunt.

¶ De fide deo præstanda Cap. I.



Rimus igitur sperandæ
beatitatis gradus fides
est. Credamus deo: cre-
damus dei filio: & quic-
quid spiritu sancto in-
structi diuini homines de
ijs, quæ nõ vidimus, nõ
bis testati sunt, indubi-
tata credulitatis assen-
su suscipiamus. Vt iacto
rectæ fidei fundamento,
cæteras quibus beata vi-
ta comparatur, virtutes
supædificare possimus,
& de nobis dici queat:

Beati qui non viderunt, & crediderunt. Vnde etiam sa-
cramentum corporis & sanguinis sui dominus sub pa-
nis viniq; specie instituit: vt non quod cernimus, neq;
quod tangimus, sed quod credimus in terra adorantes,
hoc ipm videre in cælo mereamur exultantes. Et quo-
niã vnus fidei nostræ finis est, diuino frui cõspectu, cõ-
sulēs nob ipse saluator noster. ait: Pœnitementi & credi-
te euangelio. Tunc enim plurimum prodest euangelij
fides, cum nos delictorum, quibus deum hominesque
offendimus, pœnitet. Idem alibi præcipit, dicens: Ha-
bete fidem dei. Qui fidem dei habent, hi non humanæ
solertiæ callide inuentis arguteq; conclusis credūt, sed

Iohan. 20

Marc. 1.

Marc. 10

A.

Iohan. 4

Pfal. 109.
Pfal. 42.

Iohan. 6

Marc. 9

soli veritati diuinitus reuelatae firmiter adherent, huius
manam doctrinam diuinæ semper posthabentes. Idcirco
quidem & ad Samaritanam mulierem, id est, ad animam
per fidem saluandam, ipse veritatis magister Christus
dixit, Crede mihi mulier. quasi diceret, mihi crede quod dei
sapientia sum, non philosophis quod humana sapiunt, non
poetis priscae fatuitatis scriptoribus, qui in deorum vitæ
numeranda multitudine delirant, neque Iudæis qui trinitatem
denegant, non intelligentes in vna simplici
substantia personarum pluralitatem, quam & ipse sanctus
propheta David vidit, dicens, Dixit dominus domino meo, sede a dextris meis, & alibi. Verbo dei cæli
firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.
Quod si recte acciperent, etiam in veteribus scripturis
mysterium sanctæ trinitatis contineri faterentur, & nobiscum
simul sentirent. Crede mihi, inquit. Distantiam quidam
faciunt inter credere deo, & credere in deum, ut credere in deum,
sit per fidem operari, & eius cui credimus præcepta exequi. Hinc idem ait, Hoc est opus dei,
ut credatis in eum quem misit ille. Prius tamen credimus,
deinde operari accingimur. alterum sine altero nihil, proficit ad salutem. Cæterum fieri solet, ut ad sectam
huius professionem accedentes, non nihil suspensum animi
primitus gerant. deinde (si tamen dignoscendæ veritatis proposito hoc agunt) magis illuminati, nihil
verius esse existimant, quam quod sacrarum literarum monumentis contineri cognoscunt. Qui ita in fide
stabiliri cupiunt, omnes autem cupere debent, deo supplicent & hominem illum imitentur, qui in euangelio ait, Credo domine, adiuua incredulitatem meam. si
mul enim & credebat & quasi incredulus nutabat. Et quoniam experimento iam didicerat, suam credulitatem omnino infirmam esse & imbecillem, nisi auxilio
iuuatur diuino, a domino opere petiit ut perfectius crederet. Porro quod iam de religione nihil dubitant, continuo de Iudæa ad montes transmigrare cupiunt, ad altiora virtutum
culmina conscendere nituntur. & credendo in filium, peruenire festinant ad patrem, ipso filio dicente, Qui credit in

me, non credit in me sed in eū q̄ misit me. Fide cū pene-
 tram⁹ vsq; ad inuisibilia dei. Ne aut̄ ip̄m qui est missus
 minus aliquid h̄se putares, q̄ eū qui mittit, rursus ait,
 Creditis in deū, & in me credite. Aequalem se illi testa-
 tur, dum eandem ip̄e de se fidem exigit, q̄ h̄r de deo pa-
 tre. Cui sn̄iæ & illud dictū congruit. Ego & p̄r vnū su-
 mus, non p̄pter assumptā humanitārē, in q̄ minor sum
 p̄re, sed p̄pter substantiæ vnitatē, in q̄ illi æqualis sum.
 Cum ergo patris & filij & sp̄ss. vnā eādēmq; deitatem
 confessi fuerimus, consc̄q̄ns est, vt de ip̄ius filij doctri-
 na nihil h̄sitemus. Postq̄ aut̄ oēs, p̄sus ambiguitatis
 tenebræ cordis latebras excesserint, tunc reliquū erit,
 vt nobis ad bene beateq; viuendū & cupiditas accenda-
 tur, & detur facultas. Quod q̄dem futurū pollicet̄ d̄ns,
 d. Qui habet dabitur ei, & abundabit. hoc est, q̄ habet
 fidem, meret̄ur grām, & fructib. exuberabit v̄rutū. Sic
 & luxurioso, p̄digo q; filio, post offensam ad patrem re-
 uertenti petentiq; veniā, non solum ignoscit, sed etiā
 datur stola, vt veteri hoīe deposito, nouū induat. anu-
 lus in manu, vt iustitię op̄ibus incumbat. calceamenta
 in pedib. vt ip̄e firmiter incedens, alijs q; se itinēris q̄
 ad Chr̄m peruenitur, ducem p̄stet: atq; alios doceat, q̄d
 ip̄e prius & didicerit & fecerit. Semp̄ tñ meminerit, ad
 fidei p̄fectionem non, nisi deo adiuuante, se posse pue-
 nire cum Saluator dicat: Nemo p̄t venire ad me, nisi pa-
 ter q̄ misit me traxerit eū. Illi ad Chr̄m trahunt, q̄ tra-
 hi volunt, quiq; orant vt trahantur. Nemo saluat̄ in-
 uitus. Vt velimus, n̄m est: vt aut̄ velimus & possimus
 dei est. Si quis sitit, inquit, veniat ad me & bibat. Siti-
 ant igitur & esuriant iustitiam, qui iustitiæ pabulo sa-
 turari volunt, & tunc demum ex abundantia cordis
 os loquetur. Ipse enim subiungit, dicens: Qui credit in
 me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent
 aquæ viuæ. Quod exponens euangelista, ait: Hoc
 autem dixit de spiritu, quem accepturi erant creden-
 tes in eum. Fidelis ergo Christianus, veritatis
 & intelligentiæ impletur spiritu, quo iam plenus, sa-

Iohan. 14.

Iohan. 10.

Mat. 13

Luc. 15.

Iohan. 6

Iohan. 7

Iohan. 19

Mat. 16

Iohan. 8

Gen. 15

Iohan. 14

Iohan. 18

Lucæ . 18

Mar . 10

Matth . 20

Matth. 18.

luberrimis vitæ præceptis incipit scaturire . Minime quippe otiosi sunt, q̄ diuino aguntur spiritu. Hic idem Christum dominum in se manentem habet, dicente illo: Manete in me, & ego in vobis. & rursus: Qui manet in me, & ego in eo. Quantum aut̄ boni ex hoc consequamur, continuo declarat, dicens: Hic fert fructum multum. Ne quis tamen quicquam suæ libertatis arbitrio magis q̄ gratiæ tribuat diuinæ, subiunxit: Quia sine me nihil potestis facere. Itaq; vt possimus, vt valeamus ad vitæ melioris perfectiorisq; statum peruenire, futuri ædificij fundamenta nō alibi ponenda sunt quam supra firmissimam petram Christum, qui de semet loquens, ait: Et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Quam petram ille qui primus confessus est, Petri nomen accipere meruit, & inter apostolos tenere principatum. Hoc igitur quod Iudæis dictum est, Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, nobis quoq; dictum putemus, Credidit Abraham deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Fides sola nunquam ei ad iustitiam reputaretur, nisi congruis fidei virtutum ornamentis sese oxcoluisset. Et hoc est quidem quod alibi ait dominus, Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Maius enim est pie iusteq; viuere, q̄ miracula facere, quæ etiam per impios quandoq; fiunt. Sed qui ex veritate est, inquit, audit vocem meam, hoc est, qui in me credit, qui sum veritas, hic præceptis meis obtemperat, & me imitari, p̄ viribus contendit.

De fidei constātia & virtute. Ca. II.

CAeterum nisi rectæ religionis fides semel suscepta constanter teneatur, virtutes quoq; effluere ac dissipari necesse est. Conuulso quippe fundamento, qcquid superædificatum fuerit, corruet. Firma sane fides fuit cæcorū illoꝝ, qui increpiti vt tacerent, magis clamabāt: Domine, miserere nostri fili Dauid. Chananææ q̄q; mulieris incōcussa permāsit credulitas: & q̄d credēdo atq; sperādo poposcerat, pseueran

do impetrauit. Inuicta deniq; fuit ipsoꝝ martyrum in
 credendo constantia. Cæde, vre, occide, inquit: cur-
 sta quæ homini inferri possunt tormēta, prius in cor-
 pore nostro perferemus, q̄ Christum negabimus. Hi er-
 go fuere, qui domum sibi nō in terra, sed in cælo ædi-
 ficare volentes, fidei suæ fundamentum supra firmam
 petram posuerant: atq; ideo domus illa nec fluminis il-
 lisione, nec validis ventorum flatibus potuit moueri.
 Sed hanc quoq; in credendo constantiam a deo peten-
 dam esse docet dominus, dum ad Petrum cōuersus ait:
 Ego rogavi pro te, vt non deficiat fides tua. Stabilitæ
 autem in deo fidei quanta vis virtusq; sit, quis expli-
 cet? Chananæa credens, responsum accipit, Fiat tibi si-
 cut vis, quod multo plus est, q̄ si audisset, Fiat tibi sicut
 petisti. Minus enim interdum petimus q̄ volumus, ne
 impudens videatur petitio. Et illud profecto ad credu-
 los est dictum, Cognoscetis veritatem, & veritas libe-
 rabit vos. Casso nimirum labore tota gentilium philo-
 sophoꝝ schola desudauit in quærenda veritate, quam
 sola Christi aperuit fides. Frustra Romani liberos se
 esse iactitarunt, dum orbi terræ; dominarentur. Fidei
 em̄ Christianæ veritas, vere liberos reddidit creden-
 tes, non potentia fastus terrenæ. Sola quippe ex corru-
 ptibilibus incorruptos, & ex mortalibus facit immor-
 tales. Virtus etiam fidei in eo entuit, q̄ ex tam infir-
 mo principio tantum roboris concepit, vt humiles ho-
 mines, pauperes, inermes, neq; persecutionibus neque
 cædibus cōhiberi potuerint, quin longe lateq; reuela-
 tæ diuinitus veritatis verba disseminarent. In oēm ter-
 ram exiuit sonus eorū, & in fines orbis terræ v̄ba eorū.
 Hoc sane fuit granum illud sinapis, quod minimū erat
 omnium seminum: postq̄ autem creuit, maius factum
 est omnibus oleribus: euasitq; arbor grandis, in cuius
 ramis volucres cæli habitauerunt. Nusq̄ enim alibi cæle-
 stia contemplantium mentes iucundius conquiescunt,
 quā in ipsa euangelicæ doctrinæ lectione. Si habueri-
 tis (inquit) fidem, sicut est granum sinapis. Ad naturā
 seminis referendum est, ex q̄ fit arbor magna. Magna

Luc. 22

Matth. 15

Iohan. 8

Psal. 18

Matt. 13

Matt. 17

Marc. 4

igitur fide opus est, vt magna opemur, & credentib. n̄
 hil impossibile sit. Eteñ p̄fecte credentes nihil inuifir
 perent, iō nec montes trāstulisse feruntur, nō qa nequī
 uerint, sed quia nō expedierit. Non min⁹ aut mirabile
 fuit, mortuos suscitasse, quādoquidē fecerūt, q̄ montes
 transtulisse: q̄d fecissent, si vtile fore censuissent. Vñ alī
 bi etiā dñs ait: Si potes credere, oīa possibilia sunt cre-
 denti. Sed videamus q̄nā sunt ista oīa, q̄ factu possibilia
 dicat, Centurionis fides seruū suū paralyticum sanat,
 dū ip̄e a dño audit: Vade, & sicut credidisti fiat tibi. Fi-
 des mulieris hæmorrhoidas patientis, ip̄am morbo li-
 beravit: simbriā terigit saluatoris, nihil de om̄ipoten-
 tia eius hæsitās. & meruit audire: Filia, fides tua te sal-
 uam fecit. Fides leprosos mundauit, & ei, qui reuersus
 p̄ bñficio accepto grās egit, dicitur. Surge, vade, quia
 fides tua te saluū fecit. Fides cecū illuminauit, qui dum
 miam implorat vt videret, statim audiuit. Respice, fi-
 des tua te saluum fecit. & cōfestim vidit. atq; vt bñfa-
 ctori grām quam poterat, referret, se q̄batur illum (vt
 euāgelista ait) & magnificabat deū. Fides Iairi synago-
 gæ principis, filiā eius mortuā vitæ restituit. Dño etiā
 iubente vt surgeret, q̄ iam ex animis plangebat, viua
 in pedes se erexit. Fidei deniq; merito Martha & Ma-
 ria Lazari fratrē, quem mortuū sepulrumq; & iā foeten-
 tem fleuerant, iteꝝ viuū receperunt, dicēte dño. Qui
 credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. & rursus.
 Si credideritis inquit, videbitis gloriā dei. Præcessit er-
 go fides & subsecutus est tā grandis miraculi effectus.
 Omnium tñ q̄ per fidem Ch̄i facta sunt q̄q; fiunt, fiēt
 ve, hoc maximum q̄dem est, q̄ p̄ eam ip̄si credentes de
 mundi huius miser ijs ad cælestem transferantur beati-
 tudinem, perpetuoq; felices efficiantur. Omnis, inquit
 qui cōfitebitur me corā hominib. cōfitebor & ego cum
 coram p̄re meo qui in cælis est. Si ergo in terra vt o-
 portet crediderim⁹, illic certe in cælesti gloria corona-
 bimur vt optamus. Bt̄is inqt, qui nō fuerit scādaliza-
 t⁹ in me. Scādalizant̄ illi qui dubitāt, nec satis credunt.
 Vñ apost. Nos ait, p̄dicamus Ch̄m crucifixum ludæis
 q̄dem scandalum, gentib, aut̄ stultitiam, ip̄is autem vō

Marc. 9

Mat. 8

Luc. 7.

Mat. 10.

Mar. 8

Luc. 12

Luc. 7.

1. Cor. 1

catas Iudæis atq; Græcis, Ch̄m dei v̄tutem & dei sapientiam. Sed post Christum quid q̄so beatius matre Christi: & ipsa tñ ideo beata p̄dicat, quia de nuntio sibi cælitus allato nihil dubitavit, sic enim, s. p̄ os Elizabeth ei⁹ cognatæ ad eam dixit: Beata q̄ credidisti, q̄niam p̄ficiet ea q̄ dicta sunt tibi a dño. Porro ne q̄s q̄si p̄pinq̄æ ad p̄pinq̄ dictum cavillet, audiat ip̄m dñm dicentem: Amen amen dico vobis, q̄a q̄ v̄bum meum audit, & credit ei⁹ q̄ misit me, habet vitam æternam, & in iudicium nō venit, sed transit a morte in vitam. Vñ etiam latroni in cruce credenti atq; confitenti, respōdit: Hodie mecum eris in paradiso. In paradiso vtriq; oīm bonorum pleno, & nulli vnq; obnoxio molestiæ, nulli querelæ, cū iteq; v̄itas dei dicat. Qui venit ad me, non esuriet: & q̄ credit in me, non sitiet in æternū, & paulo post, Hæc ē, inq̄t, volūtas patris mei, q̄ misit me, vt oīs q̄ videt filium, et credit in eum, habeat vitam æternam: & ego resuscitabo eū in nouissimo die, vt videlicet nō solum in anima beatus sit, sed etiā in corpore. Atq; vt se esse filium hunc, in quem credere oporteat, ostenderet, postea intulit: Qui credit in me, habet vitā æternam. Præsentis temporis v̄bo vtitur, vt credentes, & secundum ea quæ credunt, viuentes, tam beatæ æternitatis prædestinatos monstraret. Ne autem minus recte credendo, ab ipsa patris diuinitate filium separemus Arrianæ impietati assentientes, alibi idem ad patrem cōuersus, dixit: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum deum verū, & quem misisti Iesum Christum. Pater igitur & filius, & vtriq; communis. s. solus v̄sus deus est, trinus in p̄sonis, vnus in substantia. Et si hoc credere vita æterna est, p̄fecto q̄ sanctæ trinitatis fidē non tenent, licet vnum deum, vnum dñm & credant & p̄dicent, vitam æternam habere non poterunt

Luc. 1.

Iohan. 5.

Iohan. 6.

Iohan. 17.

De fide sine operibus. Ca. III.

VT autem fides nostra ex omni parte perfecta sit, operib. compleatur iustitiæ. Vt quid enim euangelio credimus, si scdm euangeliū nō viuimus?

A 4

Quid Christum confitemur, si præceptis eius non obedimus? Talis fides iuxta Iacobi apostoli sententiam, mortua est. Mortui sunt ergo illi, qui quod verbis credere se aiunt, factis non probant. De quibus dominus ait: Dicunt & non faciunt. Illis utiq; comparandi, qui Christum spinis coronatum, genu flexo adorabāt, non ut eum venerarentur, sed ut deriderent. Vel etiam illis simillimi, qui eidem sitientivinum quidem porrigebant, sed felle mixtum. Quare autem ille vinum illud gustavit, & bibere noluit: quia licet diligat confitentium fidem, fidei tamen præceptis aduersantes non recipit. Quamuis enim aliquis ad nuptias fidei inuitatus veniat, vestem tamen nuptialem, hoc est, virtutum ornamenta non habens, de ædibus eliminatur, & (quod deterius est) manibus pedibusq; ligatis, proicitur in tenebras exteriores: ibi erit (inquit) fletus & stridor dentium, ut discas eos damnandos esse, qui vel potius vel malitiā beatitudine fidelibus promissa se fecerint indignos. Quos etiam cum fatuis virginibus in euangelio conferre possumus. Virginitatem quippe fidei habent, quia sincere credunt: sed piæ rectæq; actionis oleum, quo fides ipsa illustratur, non habent. Frustra itaq; clamant, Domine domine, aperi nobis, ipso dño aditum præcludente, ac respondente: Amen amen dico vobis, nescio vos. Quid quæso infelicis, quid calamitosus, & ab illo ignorari, qui solus nouit omnia? Illos autem nescire dicitur deus, quos a se reicit, & procul a beatorum repellit consortio. Vnde ait: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. Nemo itaq; sibi de sola fide plaudet: iustitiam iungat fidei, si vitæ æternæ præmia consequi desiderat: alioquin ne miracula quidem aliquando fecisse illi proderit, a quo abest iustitia. Ideo subditur, Multi dicent mihi in illa die, domine domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nūquam noui vos, Discedi

Matth. 23.

Matth. 27.

Matth. 22.

Matth. 25.

Matth. 7

te a me omnes qui operamini iniquitatem. Hoc idem Apostoli verba docent, dicentis. Si fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Cæterum hoc quoque mali, credentibus & non operantibus contingit, quod cum sese otio dederint, etiam fide deficere incipiant. Hoc in illa ficti arbore apparuit, quæ quoniam fructibus carebat, maledicto domini arefacta, etiam folia quæ sola habebat amisit. Exiccato autem omni humore, nulli vsui apta nisi ignibus fuit. Ita nonnulli qui Christiano censentur nomine, cum sese ignauia corruerint, si quid Christianitatis conceperant, totum consumunt, æternisque ardoribus digni efficiuntur, cum infidelibus cruciandi, nisi penitentiam egerint, & ante vitam correxerint, quam iusti iudicis sententiam subire cogantur. Sed si neque fides actionibus bonis carens a morte liberat, quanto damnabiliorem putabimus perfidiam.

De perfidia. Cap. III.

Nunc ergo quam perniciosum sit, ab euangelica veritate dissentire, ipsorum euangeliorum testimonijs probare conabimur, ut cum aduersariorum mens pertinacior nullis argumentis flecti queat, saltem nostri ea secum considerantes, in proposito fidelis professionis intentius perseuerent, fortiusque stabiliantur. Qui non crediderit, inquit, condemnabitur ne videlicet bona consequatur fidelibus promissa, sed pœna infidelibus proposita puniatur. Pœnæ autem vel maxima parserit, meminisse æternæ beatitudinis quam amiserunt, minas domini contemnendo, dicentis. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum, & iterum. Qui negauerit me (inquit) coram hominibus, negabitur coram angelis dei. Hoc ipsum est, quod de illis qui inuitati venire neglexerant, dixit. Nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabunt cœnam meam. Et cum summi boni participes esse nullo modo possunt increduli, addit

1. Cor. 13.

Matth. 21.

Marc. 16.

Luc. 9.

Lucæ 12.

Lucæ 24.

- dolori cumulus, q̄ continuo post vitæ huius finē, summum malum subire cogantur. Hoc quoq; tibi indicat ille in euangelio, qui non habens vestem nuptialem, id est, fidei lauacro carens, non solum propellitur e conuiuio, sed etiam ligatis manibus ac pedibus, in tenebras mittitur exteriores. Væ etiam illi dicitur, quo fide aduersante, fideli alicui scandalum oritur: & melius cum ipso actum iri, si molarilapide ad collum alligato, in mare proñciatur. Etenim remissior pœna eum manet, qui per incredulitatem se solum perdit, & peruersa suasionem alios non inquinat. Quamuis autem leuius crucietur, æternæ tamen morti, sicut & illi, qui alienæ subuersionis autores sunt, obnoxius est. Si non credideritis (inquit) quia ego sum, in peccato vestro moriemini. Quid sit ita mori, Iohannes in Apocalypsi ostendit, dicens: Timidis, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatriis, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Qui ergo in peccato incredulitatis moriuntur, inferni ardoribus traditi sunt. Hoc vt magis manifestum faceret dominus, ait: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Tritici præterea & zizaniorum parabola, distantiam fidelis & infidelis demonstrat, dicente domino: Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum. Alteri ergo in ignem proñcientur, alteri ad vsum domini in thesauris cælestibus translati seruabuntur. Quamobrem de nobis sollicitus saluator noster, vt hæreticorum doctrinam deuitemus, hortatur & ait: Cauete a fermento pharisæorum & sadducæorum. Parum enim fermenti, vt Apostolus inquit, totam massam corrumpit. Idem rursus ait: Videte ne qs vos seducat. Multi em̄ venient in noīe meo, dicentes quia ego sum, & multos seducēt. Cū hæreticis igitur & bonarū mentiū seductoribus, p̄uictosa est cōuersatio. Si qs ergo diuinitati Christi derogare
- Matth. 22.
- Lucæ. 17
- Apoc. 21.
- Iohan. 15
- Matth. 13.
- Matth. 16.
- Mar. 13.

videris, eos nō Christianos esse existima, sed Antichri-
stos: non minus execrandos illis, qui in domo Caiphæ
in eum spuere, & faciem eius velare, quiq; caput ipsius
& spinis cōpungere, & arundine ausi sunt verberare.

Marc. 14.

Nam Christi caput deus, Christus aut caput nostrū est.
Rursum, si quē circa humanitatem eius errare sense-
ris, eum sic existima, q̄si qui ipm vestibusexuat, & nu-
dum extentumq; affigere cruci non dubitet. Talis Ma-
nichæorū fuit impietas, qui Christū non ex virgine na-
tum dicebant, sed tantummodo in phātasmate visum.

Hæretici.

Horū profecto & his similitum fugiendum est consorti-
um. Sunt enim in pellibus ouium lupi rapaces, dum si-
mulatione credulitatis fidelibus insidiantur. Sunt ab-
ominatio desolationis stās in loco sancto. Fingūt enim
se cum ecclesia Christi sentire, & tamen malignæ argu-
mentationis machinis eam destruere & euertere conā-
tur, & sancta eius prophanare. Male interpretantur
scripturas, diuersiq; sensus dogmata conscribūt, & se
veritatis assertores esse p̄dicant, vt Iudā imitati oscu-
lo Christum prodant, & spongiā fellis calamo imposi-
tam ori eius offerant, illis ipsis qui olim hoc egerūt, de-
teriores. Si quid eos petieris, porrigent tibi, p̄ pane la-
pidē, pro pisce serpentē, pro ouo scorpionem, pro bo-
no videlicet malū, pro v̄itate mendaciū, pro antidoto
venenū. Quo aut facilius illos declines, audi dñm dicen-
tem, Ex fructibus eorū cognoscetis eos. Aut enim terre-
narū rerum studiosi, cęlestia contemnunt, otiosiq; in fo-
ro negotiantur, & in vinea dñi operari nolunt: aut vo-
luptatibus & impudicitia seruiunt, porcis illis similes
qui receptis intra se immunditiæ spiritibus, in profun-
dum maris præcipites iere, aut auaritiæ student, cum
Iuda vendentes dominum, & cum custodibus accepta
pecunia negantes eius resurrectionem, aut de omni-
bus dubitantes atque animo suspensī, nihil affirmare audent
quibus dicitur. Quare timidi cētis, necdum habetis fi-
dem: aut procaces sunt, vt illi qui prætereuntes Chri-
stum in cruce pendentem blasphemabant, aut iniqui
& in omne scelus proni, satanæ primogeniti, quibus

Matth. 7

Matth 8.

Mar. 4

dicere possis, Vos ex patre diabolo estis, aut prorsus in errore ita obdurati, vt nec ratione, nec autoritate, nec miraculis moueantur, facti lapides, in quibus semē verbi dei arefcit, & spinæ, in quibus præfocatur, & via in qua conculcatur, quibus dominus ait. Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. Hi sunt qui lapides cordis sui tollunt, vt his obstinationis telis Christum repellant, & ipse abscondit se, ne quando veritatem agnoscant, qui mendacio iam occalluerunt, quibus si ipse sua voce dixerit, Ego sum, retrorsum abibunt, & in eodē corruent luto vitiorum, quo tam nequiter infecti sunt. Et quoniam occæcauit eos ipsa animi malignitas, cū etiā ab aliquo fideli doctore quæ vera sunt audierint, non satis intelligunt, & tenebris repleti, lucis disciplinam suscipere nequeunt. In tenebris ergo & in vmbra mortis sedent, & diligunt magis tenebras quam lucem, quibus ait dominus. Quæretis me, & non inuenietis. Quærentes quippe eum in scripturis, dum sanæ intelligentiæ sensum peruertūt, minime ipsum inueniunt, terrenarumq; rerum impediti curis, cælestia capere nequeunt, mundumq; magis quam mundi dominum diligentes, non iam mundant, sed mundus appellantur, domino ita de illis ad patrem dicente. Pater iuste, mundus te non cognouit. Huius mundi dominus, diabolus est. Apostolus enim cum de diabolo loqueretur, Princeps mundi huius, inquit. & ne incertum esset de quo mundo diceret, addidit, Mundi tenebrarum harum. Ille itaque qui pertinaciter errat, & mundus tenebrarum est, & diaboli seruus? Dei creatura es, o homo, dei iuris es, cur auerteris ab eo cuius es, & illi te tradis cuius non es. Dictū est, Date deo quæ dei sunt, & tu quæ dei sunt, porrigis diabolo. Quid tunc dicturus es, cum ipsum, cuius doctrinam contempnis, te iudicantem videris, tibiq; dicentem videris, tibiq; dicentem audieris, In propria veni, & mei me non receperunt? Qua fronte, qua fiducia tunc rogabis vt ipse te recipiat, quem omnino negare non poteris, abs te receptum non fuisse? Quid

Iohā. 3.

Iohan. 15.

Eph. 6.

Iohā. 7.

de illorum incredulitate dicam, qui ne miraculis quidem mouentur, quos tamen admonens dominus, ait: Si mihi non vultis credere, operibus credite, quæ si ab homine fieri nullo modo possunt, cur non creditis in me aliquid esse supra hominem? Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt; & vos me hominem esse confitemini, deum negatis. Talia & ab hominibus facta sunt inquit; sed qui hoc fatentur, nonne verius dicerent, non ab hominibus, sed per homines facta fuisse, si considerare vellent, in cuius nomine, quo inuocato facta sint? Quod si hæc miracula, vt debent, facta esse a deo credunt, & per quos ea ipse fecerit, veraces & sanctos fuisse non negant, dicat quis vnquam illorum, se vel deum, vel dei filium esse confessus sit? Et si eum se esse Christus affirmauerit, cur eius verbis fidem non præstant, cum etiam ipsi homines, quibus talia agendi data fuit potestas, in nomine Christi ea se egisse nunquam dissimularint? Quibus certe si crederent, & in Christum, qui ab hisdem prædicatus est, crederent. Porro cum nec operibus voluit credere, audiant inclamantem: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere penitentiam egissent. Veruntamen dico vobis, TYRO & SIDON remissius erit in die iudicii, quam vobis. Tyrus & Sidon ciuitates idololatræ erant, vitisq; deditæ; & tamen his acerbius punientur illi, qui cum per inuocationem Christi non pauca prodigia facta viderint, Christum non vt deum recipiunt, & minus aliquid patre affirmare non dubitant.

Iohan. 16.

Matt. 11.

¶ In illos qui de miraculis, quæ scripta sunt, dubitant. Cap. V.

Sunt qui signa illa quidem facta fuisse legunt, sed an vere facta fuerint, animo suspensi sunt, ac simile aliquid suis ipsi oculis intueri spectareq; affectant. Quibus respondens dominus, ait. Generatio praua

& adultera signum quærit. Et quoniam qui dubitant indigni sunt ut tale aliquid cernant, signum (inquit) non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophætæ. Quæri potest, cur dictum sit, Et signum non dabitur ei, cum Iudæis incredulis multa signadata fuerint? Sed qui signo. i. miraculo dñicæ resurrectionis, cuius typus Ionas fuit, non crediderunt, quod maximum erat, multo minus alijs non ita magnis credere poterant. Maius est enim semet a morte reuocare ad vitam, quàm alios, ad vitam incorruptibilem atque immortalem, quàm ad corruptibilem atque mortalem. Non est ergo eis datum signum efficacius ad credendum Christo, quàm ipsa resurrectio Christi, quàm tamen subornatis per largitionem custodibus, denegare conati sunt. Eorum perfidiã imitantur, qui miracula ipsi cernere quærunt, & de illis quæ in euangelio recensentur, dubitant. Phariseis quoque & sadducæis infidelis comparandi, qui de cælo signum sibi ostendi petierunt, non satis habentes ea, quæ facta coram se in terra viderant. Iure igitur ac merito talibus exprobrauit dominus, dicens. Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Et si non credideritis (inquit) quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Mori autem in peccato, ut supra ostendimus, omni alia morte peius est. Qui dubitat, Christi aduersarius esse conuincitur, ipso dicente. Qui non est mecum, contra me est. Petrus dubitando cœpit mergi, discipuli non potuerunt eicere demonium. Zacharias factus est mutus, & hi quidem quod dubitando amiserant, credendo recuperarunt. Tu quoque nisi dubitare desieris, non poteris euitare demonum dolos, nec loqui ea quæ tibi saluti esse possent, nec iam emergere de abyssu inferni, si modo cum corde isto dubio tibi decedere contigerit. Quod si cum Thoma hætenus dubitasti, iam & cum eodem credens Christum confitere, dicens, Dominus meus & deus meus. Altoquin ne illa quidem quæ bene egeris, prodesse tibi poterunt ad salutem. Nisi enim firma petra, quæ est Christus, fundamentum tui ædificij fuerit, quicquid operis extructum erit, corruet. Ut autem operis tui la

Matth. 16

Iohã. 4

Iohã. 8

Matth. 12.

bor non sit irritus, crede deo, non hominibus, apostolis, non philosophis, ecclesie dei, non diaboli synagoga, cum filius dei dicat. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus caelestis, eradicabitur, hoc est, omnis religio, omne dogma, quod alio praeterquam deo autore inductum fuerit, diu stare non poterit.

De ecclesia fide fundata.

Cap. VI.

Per hanc ergo fidem diuinitus nobis reuelatam aedificata est ecclesia supra firmissimam petram Christum, dei filium, dominum nostrum. Si fideles simus ipsi sanctae dei ecclesiae, cuius caput est Christus, membra corporis Christi sumus. Qui autem non credit ecclesiae, nec potestati eius subiicitur, ille abscisus & abiectus est, atque cum mortuis computatus, nisi forte poenituerit eum erroris, ac rursus per fidem iunxerit se ecclesiae, mandataque eius perfecit. Solo enim fidei glutino corporis huius membra ferruminantur, spe firmantur, charitate perficiuntur. Igitur quicquid catholicae apostolicaeque ecclesiae recepit autoritas, & te illud citra omnem cordis haesitationem recipere oportet, & quicquid seruandum constituit, obseruare, si cum Christo viuere mauis, quam cum infidelibus interire. Ecclesia naus illa apostolorum est, quae fluctibus & procellis multarum haeresum inquietabatur, sed dum fideles in remigando laborarent, hoc est, intuenda defendaque veritate fatigarentur, ope adiuti diuina, superiores euasere. Suscepit enim Iesu in nauis, cessauit ventus, & turbines errorum dissipati sunt. Sed obserua quod ad laborantes venit Saluator, non ad desides & pigros & a iustis operibus otiosos. Qui ergo quod per se facere potest, non omittit, facile impetrabit, ut etiam illa quae per se facere nequit, efficiat. Porro primae ab initio ecclesia illa in euangelio parabola est. Homo plantauit vineam, id est deus pater domum Israel, circumdedit eam sepe, custodia munivit angelorum posuit in ea lacum

Marc. 6.

Luc. 20.

siue torcular, id est, legem præceptis vitæ redundan-
tem ædificauit turrim, id est, templum. Turris quippe
arx est vr̄bis, ita oratoria nobis munimenta sunt, ad
quæ confugientes, carnis dæmonumq; impugnationes
minus timemus, orationis armis accincti, & cæle-
stis contemplationis fide protecti. Sequitur, Et pere-
gre profectus est, non discedendo, sed permittendo, vt
in vtrancq; partem libera sit operandi facultas. Misit
deinde seruos ad fructus vineæ colligendos. Misit em̄
prophetas, qui mandatorum dei obedientiam exige-
rent, sed agricolæ, id est, ludæi proterui, & nullius bo-
næ disciplinæ patientes, nec dei sui nuntiis pepercit
alium afficiendo verberibus, vt Micheam, alium vul-
nerando ac perimendo, vt Isaiam, Ieremiam, Zacha-
riam, & alios non paucos prophetas, neminem pror-
sus vitiorum suorum repræhensorem æquo animo to-
lerantes. Post prophetas misit filium suum charissimū
& vnigenitum, dicens, Reuerebuntur filium meū, non
quia ignoraret quid facturi essent, sed innuens quid fa-
cere deberent. At illi, Hic est hæres, inquit, venite,
occidamus eum. Occiderunt, & eiecerunt extra vineā,
id est, extra Hierusalem. Extra ciuitatem enim crucifi-
xerūt dominum Iesum, vel extra vineam, extra Iudæo-
rum ecclesiam, vt ab ipsis eiectus, exciperetur colēdus
a nobis. Sequitur enim, Quid ergo faciet dominus vi-
neæ? Malos male perdet, & vineam locabit alijs, hoc
est, omnibus in Christum credentibus, tam gentibus
quam Iudæis, veteribus noua copulans, Christus lapis
angularis, illa implens, & ista inchoans. Veruntamen
quantum intersit inter ecclesiam & synagogam, ipsa
nominum interpretatio declarat. Synagoga Græce, La-
tine congregatio dicitur. Ecclesia autem conuocatio
interpretatur. Hæc propria naturæ rationalis, illa eti-
am ad pecudes pertinet. Itaq; ecclesiæ sicut magis sin-
gulare nomen, ita dignitas maior & gratia plenior.
Hæc ergo ciuitas illa, in quam mittuntur apostoli, vt
domino parent pascha, hoc est, cibum de quo ipse ait,
Mar. 14. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est po-

tus, In ecclesia quippe carni & sanguini domini communicamus, accedentes ad cœnaculum grande stratū, id est ad altare nomini eius consecratum, ut non nostro, quod exiguum est, sed Christi merito vitam consequamur æternam. In ecclesia deo preces offerimus, dicente domino: Domus mea domus orationis est. In ecclesia per baptismum renouamur, & encarnia facimus dum nouum hominem induimur, qui secundum Christum natus est. In ecclesia peccatorum nobis vincula relaxantur. Hæc est enim stabulum illud, in quod homo a latronibus in via vulneratus, curandus infertur. In ecclesia laborantium, in cœlo requiescit, quibus dicitur: Vos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium. Ecclesia est ergo mulier parturiens, quæ (ut in euangelio scriptum est) tristitiam habet, quia uenit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Tristitia quidem afficitur, dum persecutiones tolerat, siue corporis, siue animi, sed cum ab imis ad superna se transfert, tanto perfunditur gaudio, ut præcedentis angustiarum prorsus obliuiscatur. Quia natus est homo in mundum, hoc est, quia filii ecclesiæ iam immortalitatis natiuitate lætantur, transfari de mundo isto corruptibili ad mundum incorruptionis, & de terreno habitaculo ad cæleste regnum. Cuius immensam & ineffabilem gloriam nunc in ecclesia laboribus occupata constituti, cogitatione commiscimus, dum solennia sacra celebramus. Mariam imitando, quæ sedens ad pedes domini, sermonum eius dulcedine pascebatur, ut cum ipsa postea dicere possimus: Vidi dominum, & hæc dixit mihi.

Lucæ. 19.

Iohan. 10.

Lucæ. 10.

Iohan. 16.

Lucæ. 10.

¶ In eos, qui in ecclesia nequiter se habent. Cap. VII.

CAeterum meminisse debemus, illis in ecclesia non esse locum, qui terrenis intenti negotiis, corpus non animum in eam afferunt, ne tunc quidem uanis colloquijs & nugis inutilibus abstinen-

B

Iohan. 2.

res, iocisq; & risu, cum a sacerdote diuina peraguntur. Sciant eos minus fortasse culpabiles fuisse, qui domini flagello eiectione fuerunt de templo, dicentis: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Illi vero eam latronum speluncam faciunt, qui ineffrenatae libidinis ardore, nulla loci aut sacrificiorum habita ratione, pudicitiae infidantur alienae, vel oris nutu, vel oculorum nictu, vel impudenti aliquo verborum prolatu. Melius cum ihs ageretur, si nunquam domum dei adissent, quam ut ingressi sic in ea, quasi in prostibulo, versari non dubitent. Deterius tamen adhuc peccant, qui ea mente illuc conueniunt, ut simpliciorum fidem perniciosis quaestionibus peruertant, zizania superiacientes, ubi solum est triticum. Hi scindunt tunicam domini inconsutilem, ecclesiae turbantes unitatem, sequi ipsos deprauato scripturarum sensu in errorem implicantes. Longe sese ab his faciat, qui matris ecclesiae, cuius Christus sponsus est, filius esse desiderat.

Iohan. 18

De lege & euangelio.
Cap. VIII.

Luc. 18

Ecclisae vero sanctae fortissimi parietes sunt lex & euangelium. Nihil enim (ut Apostolus ait) ad perfectum adduxit lex. Ille qui Christo domino legis praecipua se custodisse dixerat, audit unum sibi adhuc deesse, ut bonis quae habebat, in usus pauperum distractis, caelestes diuitias parare sibi maturet. Hoc ergo legi deesse apparuit, ut terrenarum rerum cura contempta, caelestibus tantum bonis comparandis inhiemus. Lex enim & prophetae usque ad Iohannem, quae illi praesentem tantummodo felicitatem observatoribus legis promittebant. Iohannes autem primus regnum caelorum coepit euangelizare. Atque ideo dicitur, A diebus Iohannis usque nunc regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Tunc enim primum vim intulimus caelesti regno, cum pro nobis pugnante Christo, victus est ille, qui omnes ab Adam descen-

Luc. 16.

Mat. 11

dentes ob delictum vinctos tenuit. Disce tamen q̄ vio-
lenti rapiunt illud. non ignaui, nec qui a vitis superā-
tur, sed qui his repugnando victores euadunt. Nullibi
autem certior vincendi spes quam in euangelio, in quo
certantibus suffragatur gratia. Quia lex per Moſen
data est, gratia & veritas per Iesum Christū facta est.
Hoc certe optimum vinum in fine conuiuij reſeruauit
nobis benignissimus ſponſus, cui dicitur: Tu autem
ſeruasti bonum vinum vsque adhuc, id est vsque ad
ſextam ætatem, quam ſex hydriæ figurabant. Prima
enim ætas fuit ab Adam vsque ad Noe, ſecunda a Noe
ad Abraham, tertia ab Abraham ad Dauid, quarta a
Dauid ad tranſmigrationem Babylonis, quinta a trās-
migratione ad Iohannem, ſexta a Iohanne vsque in
finem ſeculi. In hac igitur poſtrema ætate, in qua nos
ſumus, aquæ verſæ ſunt in vinum: quia ſcriptura-
rum literalis intelligentia, allegorici ſenſus recepit ſa-
porem. Iam de plenis hydrijs haurimus Chriſti myſte-
ria, quæ diu ſub verborum velamento latuerant, &
tunc quidem granum ſinapis minimum erat, quod po-
ſtea acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit,
& factum eſt in arborem magnam. In omnem enim
terram ſparſit ſe veri dei ſonus, qui prius ludææ tan-
tum ſinibus arctabatur. Et volucres cæli (iquit) requie-
uerunt in ramis eius. Illis quippe in euangelio iucun-
da quies eſt, qui ſpem ſuam de terra tollentes, in cælo
collocant, neque quicquam de promiſſionibus Chriſti
dubitantes, aiunt: Sermo tuus veritas eſt. Cauent itaq̄
a fermento phariſæorum, quod eſt pernicioſa hære-
ticorum doctrina: & ei fermento penitus inhærent,
quod acceptum mulier abſcondit in farine ſatis tri-
bus, hoc eſt, ad illam intelligentiam doctorum to-
ta credulitate accedunt: quam approbavit eccleſia, tri-
pliciſque ſenſu diſtinxit, hiſtorico, morali, ſpiritali:
donec fermentetur totum, donec totum ſane recteque
intelligatur, ita vt nullus errori ſuperſit locus. Cæte-
rum licet præferamus euangelium legi, vtriuſque ta-
men vnum autorem deum conſitemur, vtramque ap-

Iohā. 1.

Iohan. 2.

Luc. 13.

Ioh. 17.

Luc. 13.

- probamus. Nec solui legem per euangelium dicimus, sed adimpleri, in illa figuras esse, in hoc veritatem, in illa promissionem, in hoc perfectionem. Facilius est (inquit) cælum & terram præterire. quam de lege vnum apicem cadere. Quicquid ergo ceremoniarum, sacrificia, prophetarum futurum nunciabant. partim impletum est in primo Christi aduentu, partim in secundo implendum expectamus, ne quis frustra aliquid scriptum aut significatum putet. Quicquid autem in lege ad vitæ morumque institutionem spectat, sicut veteribus, ita & nouis hominibus est obseruandum, & cum euangelio communicandum, ac de vtriusque scripturæ moralibus præceptis cum psalmi ista dicendum. Eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Nihil est his pretiosius, nihil suauius. Quod idem tibi testatur ad dominum, dicēs. Bonum mihi lex oris tui, super milia auri & argenti, & quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo. Nihil ita sedat iracundiam moderatque affectus, & in vitam equi honestique animum dirigit. Pax multa, inquit diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Multa quidem & ipsi sapientiæ professores philosophi ad componendos animi mores vere rationabiliterque præceperunt, sed cum diuinis humana conferri nequeunt. Potentius ista influunt, si fideliter suscipiantur, efficacius mouent, tenacius hærent, fecundius fructificant, feliciter ad optatum prouehunt finem, & cum incommutabili bono nos coniungunt. Vetus igitur nouaque lex, duo denarii sunt stabulario dari. i. ecclesiæ præsidi, vt his peccatorum nostrorum vulnera curentur. Sunt etiam duo gladij, quos in medium profertibus apostolis, satis esse dixit dominus. cum vtriusque testamenti doctrina satis superque sit aduersus quasque repellendas diaboli insidias, ac prauas ab animo abscindendas cupidines. Vetus tamen testamentum fuit Agar ancilla in seruitute generans, & nouum Sara liberæ prolis mater, qua
- lucae. 16.
- Psal. 118
- Ibidem
- lucae. 10.
- lucae. 22
- Gal. 4.

libertate donauit nos Christus. Ideoque dominus quinque panes hordeaceos turbæ dedit seruii, veluti quinque libros Moysi. Nos autem pane qui de cælo descendit, vescimur, vt cum eodem qui nos liberauit, ascendamus in cælum. Denique legis pascha cum lactucis agrestibus, quæ amarissime sunt, comedebatur. At in euangelio pars piscis assi cum fauo mellis domino a mortuis resurgenti offertur. vnde & Apostolus clamat dicens: Si cõsurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Luc. 24.

Colossen. 3.

¶ In contemptores legis vel euange
lij. Cap. IX.

Sed neque legis contemptoribus impune erit, cum diuinus sermo dicat. Qui declinat aures tuas ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis. Frustra enim deum precatur, qui dei iussa parui æstimat. Hoc idem per Ieremiam spiritus sanctus affirmat, dicens. Ecce ego adducam mala super populum istum, fructū cogitationum eius, quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Post hæc denuntiat illis captiuitatem futuram, vt qui ad legis præscriptum sponte seruire deo neglexerunt, inuiti seruiant inimicis dei gentiq; infideli. Et si talia legis præuaricatoribus debentur, quanto magis aduersus euangelij sui irrisores indignatio desæuiet Christi? Horum autem qui euangelium despiciere videntur, tria genera sunt. Alij quippe ne audire quidem volunt diuinos, qui in ecclesia recitantur sermones. Alij autem audiunt, sed quæ præcipiuntur, ea exequi aspernantur, alij vero magis temerario ausu ita audiunt, vt ea econtrario arguere præsumant, & veritatis verba, quæ non intelligunt, peruertere aliquo modo conantur. De primis conqueritur dominus, ad eosdem dicens, Quare loquelā meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum. Et vt ostenderet eos, qui audire diuina

Pro. 28
Iere. 6.

Iohā. 8

Mar. 7.

1. Tim. 4.

Iucæ. 6

dedignant, ex parte diaboli esse: Qui ex deo est (inquit) verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Hi ergo & surdi sunt & muti, cum nec aures accommodent ecclesie doctoribus, nec quicquam tale aliquando loquantur, Qui nisi conuersi postremo sese offerant Christo, ita ut ipse digito tangat eorum aurem, & salua palatum, nunquam sanitatem consequentur, semper ad ea quae salutis sunt, surdi & muti erunt: atque ut ita etiam ad malum sicut ad bonum surdi & muti forent, sed ut deterius peccent, & laeuam aurem habent qua ea quae carnis sunt, audivissime audiunt, & sinistram linguam, qua vel nugas garriant, vel alios infament, vel proximo maledicant. Quod nisi tandem ad Christum adduci se permiserint, qui labefacta solo verbo instaurat, quis eos curare poterit? De istis ut reor, prophetauit Apostolus, cum diceret: Sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Sunt quippe in his plurimi, qui pudendis gentilium poetarum cantibus tota die operam impendunt, & ne horam quidem diuinarum in ecclesia recitationum vacare auditionibus queunt. Transcamus ad eos, quos auditores tantum & non factores verbi esse diximus; de quibus domini sententia est. Qui audit & non facit, similis est homini aedificanti super terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit. & facta est ruina domus eius magna. Audire enim & nolle facere, deficere est. Deficiens autem & se sibi non restituens, quotidie deterior fit, patetque omnibus diaboli insidijs, nulla circumspectae mentis virtute munitus, tantoque facilius supplantatur, quanto se putat magis tutum. Nam sicut arborem ventorum pulsata procellis ruere necesse est, cuius radix vitiosa fuerit, ita illum labi quoties voluptatum illecebris prouocabitur necesse erit. Neque minus in istos qui facere nolunt,

quam in illos qui audire negligunt: exclamant, pphetæ, apostoli, euangelistæ, omnes catholici doctores. Cecinimus vobis, & non saltastis, lamentauimus & non planxistis. Quid enim aliud omnes diuinæ continent scripturæ, nisi virtutum laudem, viriorumq; detestationem atq; querelam? Porro istis etiam qui sacra eloquia vel audire renuunt, vel si audiant, secundum ea viuere nolunt, nequiores sunt, qui eadem audiendo coram arguere, atq; iisdem petulanter obrectare auder, & sophismatum strophis docere, ipsa dei præcepta vel impossibilia factu, vel inter se pugnantia, vel aliqua in parte minus rationi consentanea esse, quasi vero quicquam rationabilius, consultius, iustius homo possit indagare, quam hominum opifex præcipere? Si quis tam prophana præsumptione ducitur, inter hæreticos erit habendus, & de fidelium cœtu repellendus, ne sanum gregem morbida cõtaminet pecus. Ad eunt ecclesiam, audiunt epistolas, audiunt euangelia, & sicut in IOHANNES scriptum est, dicunt, durus est hic sermo, quis potest eum audire? Nihil credunt nisi quod naturæ consentaneum putant, & nesciunt omnium autorem supra naturam esse, & vt se talem, pbet, super naturalia loqui operariq; solere. Quibus qui non adhibuerit fidem, necesse est vt dei omnipotentiam denegat, fateaturque quod naturaliter fieri nequit, id nec diuinitus fieri posse. Qua in re naturam deum alterum constituere videntur, si nihil maius deo quam naturæ tribuendum censent, quibus dei verbum respondens, ait. Quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis, hoc est, quia non estis capaces a me prædicatę veritatis, ideo in me diuinitatem natura potentiozem, & humani ingenij captu maiorem esse non creditis. Ego autem quod vidi apud patrem, hoc loquor. Ego enim & pater vnũ sumus, vna substantia, eadẽ natura, licet non eadẽ persona, alia q; pe persona est geniti, alia genitoris, & tamen vtriusque vna eademque diuinitas, eadem vis & gloria cum

Matth. 11

Iohan. 6.

Iohan. 8.

B A

sanctospiritu, quem ambo simul spirant, sibi æqualem, sibi que consubstantialem. Quod sanctæ trinitatis mysterium in vna deitate, nisi fides teneat, lingua non explicat. Ob hoc quidam, quia comprehendere nequeunt, retrocedunt, cum potius persuadere sibi deberent, tanto ea magis deo tribuenda esse, quanto minus a nobis, qui homines non dii sumus, possint intelligi. Alioquin fateri oporteret, quod nemo vnquam ausus est dicere, aut deum non esse homine maiorem, aut hominem deo esse æqualem, si ad omnia quæ dei sunt, humani vis intellectus posset penetrare. Sunt tamen nonnulli, qui in peruersitatis suæ proposito ita obdurant, vt credulitatem nostram etiam irridere non dubitent, atque hi fere sunt, qui gentilium philosophorum argutias secuti, nihil credendum putant, quod ipsa hominis ratione queat inuestigari, & suorum ambagibus argumentorum vsi, quicquid non satis intelligunt, id verum esse denegant. A quibus euangelicæ veritatis assertores auersi, ne in tam duro solo frustra verbi semen iaciant, nullam frugem facturum, dicunt, Quia repellitis verbum dei, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Quæ videlicet & audiunt euangelij prædicationes, & quod audiunt, credunt, & quod credunt, opere complere pro viribus nituntur. Vos vero increduli mementote ab ipsa veritate, id est a dei filio dictum, Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum. Huius autem hominis infelicitati, quem Christus erubescet, nulla vitæ præsentis infelicitas potest comparari. Nam qui receptus a deo non fuerit in gratiam, a diabolo recipitur in damnationem suppliciumque sempiternum.

Act. 17.

Luc. 9.

¶ De conuersis ad deum.

Cap. X.

VT autem alterum ex his euitemus, alterum sequamur, sarcina peccatorum deposita, quæ nos in abyssum deprimit inferni, ad illa cõuertamur

quæ de terra erigunt pauperem, & in cælo collocant. **Marc. 14**
 Imitemur Simonem leprosum, vt flagitiorum lepra cu-
 rari, mereamur hospitem habere Christum. Neq; nos
 prioris vitæ pudor impediât, aut horror in despera-
 tionem trahat. Benignissimus est, qui ad cœnam inuit-
 tari iubet pauperes, debiles, cæcos, & claudos. i. omni
 scelerum genere inquinatos, & neminem prorsus repu-
 diat ad se cum peccator; pœnitentia accedentem. **Luc. 14.**
 Hic est qui prodigum filium, cum bona paterna peregre, p-
 fectus dilapidasset, ad se reuersum osculo exceptit, am-
 plexibus fouit, & lætatus est, quod ille qui perierat in-
 uentus esset, & qui mortuus fuerat, reuixisset. Diu mul-
 tumq; in nequitia cœno immerfus iacuisi, expergisce-
 re tandem & erige te vt munderis. **Marc. 9**
 Mulier quæ duode-
 cim annos profluato sanguinis laborauerat, cum Chri-
 sti simbriâ tetigisset, sana discessit. Altera duodeuigin-
 ti annos morbi vi inclinata, domino manum ei impo-
 nente curatur, & cœlû aspiceret incipit, quæ tanto tem-
 pore pecudum more terram tantum spectauerat. **Luc. 13**
 Plus
 dicam, octo & triginta annorum languorem sustinuit
 ille, quem ad probaticam piscinam sanum surgere ius-
 sit dominus, ita vt qui tamdiu fracto debilitatoq; cor-
 pore immobilis in lectulo decubuerat, illum ipm lectu-
 lum quo ferebatur, ipse humeris suis referret, domû-
 q; rediret, non solum sanitati, verumetiam vigori vi-
 ribusq; restitutus. His autem curationibus tam diuti-
 na tabe marcescentium corporo; significauit tibi domi-
 nus, q; ipse medicus animo; sit, quamuis ad multam
 ætatem in peccatis versati fuerint, tantum vt curari cu-
 piant & rogent. Non em̄ sanat ille nisi volentem. Nam
 & hunc prius interrogasse dicitur, an vellet sanus fie-
 ri, atq; vt velle audiuit, nō distulit, quin statim sanum
 redderet. Nemo ergo desperet quamdiu viuimus, mise-
 ricordia locus est, tunc iudicamur, cum morimur, &
 si ante impetratæ veniæ priuilegium nobiscum deferi-
 mus hinc decedentes, in electorum numero ascribimur.
 Sin vero sine illo vitam obimus, ad mortem nunquam
 intermorituram descendimus, ad tenebras exteriores,

Luc. 10 vbi est fletus & stridor deniū, & pœnarū finis omnino
 nullus. Beati igitur illi, quorū antequam iudicabuntur
 erunt praua in directa & aspera in vias planas, q̄ pri-
 usquam opera ip̄orū iustitiæ libra examinabunt, luporū
 feritatem quam induerunt, cum agnorū mansue-
 tudine commutabunt. Nunc ergo t̄ps acceptabile, nunc
 dies salutis, nunc accessus ad eum datur, a quo dictum
 est, Qui venit ad me non eiciam foras. Non aliter ad
 eum venit, nisi desinendo a malis, & quod bonum est
 operando. Itaq; non solum iniqui, sed etiā otio indul-
 gentes, ab eo qui saluare potest, procul sunt. Ficum il-
 lam quæ foliorū t̄m luxuria exuberans fructu carebat,
 maledicendo dñs ariditate damnauit. Sub qua cum la-
 teret Nathanael Israelita, licet dolo carens, non pote-
 rat loqui cum Iesu, egressus autē & magis alacris animi
 affectu saluatoris quærens conspectum, eum ip̄m quē
 scribæ & pharisæi cognoscere nequiuerunt, confiteri
 cœpit, d. Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Israel. Verun-
 tamen si sensus quoq; non satis sanos habeas, quicquid
 illis blanditur, mortiferum puta, & illa quæ deo pla-
 cent, ijs indulge. Si visus te ad peccandum sollicitat, cæ-
 cus es, cum Barthimæo pergeinuocare Iesum, & petere
 vt videas, tunc ip̄o imperante discedent ab oculis tene-
 bræ illæ, in quibus spectandarum mulierū concupiscen-
 tia habitabat, vel delectatio aliquam vanitatem viden-
 di versabatur, cælumq; ac sydera contueri incipies, &
 per ea quæ videntur ipsa dei inuisibilia contemplari.
 Quod si te auditus & loquendi intemperies in malum
 præcipitant, surdus & mutus es, quia dū te audire vel
 loqui ea quæ mundi sunt, nimium delectat, ab his quæ
 dei sunt, & aures auertis ne audias, & os comprimis
 ne loquaris. Cum surdo igitur & muto a domino po-
 sce remedium. Ille huiusmodi hominis aures digito te-
 rigit, & salua linguam, atq; is qui vtroq; malo affe-
 ctus fuerat, vtroq; liberatus abiit. Statim em̄ (vt Mar-
 cus ait) apertæ sunt aures eius, & solutum est vincu-
 lum linguæ eius, & loquebatur recte. Postremo qui-
 buscunq; vitijs corruptus viuus, ita vt mortuus sis cum

Luc. 10

Iohan. 6

Mar. 11
Iohan. 1

Mar. 10

viuas, quantum potes ad illum qui viuificat mortuos, te verte. Nam & mortui audient vocem filij dei, et qui audierint, uiuent, modo ne tardes tibi iam in morte posito quærere salutem, dum inueniri potest. Fugit tempus, dies aduentat extremus, atque hic fortasse crastinus est aut hodiernus, et tu tibi tutum putas differre turpis vitæ correctionem? noli iuuentæ confidere, omni ætati communis est mors. Nec prosperæ valetudini crede. Quidam dum rident, dum iocantur, dum cum alijs colloquuntur, repente concidere. Pelle igitur moras omnes, et prauas cupidines de pectore proijcere festina, atque de spelunca latronum fac domum orationis, in qua habitare dignetur Christus. Hoc pacto qui nunc nouissimus es apud deum, iam inter primos computaberis. In nouissimis erant Matthæus, Zachæus, latro, sed conuersi ad dominū, primi facti sunt. Matthæus reliquit teloneum, et fit apostolus. Zachæus auaritiā largitate mutauit, et salus facta est domui eius, cum Christum suscepisset hospitio. Latronem aliena per vim rapuisse pœnituit, et saluatori se commendans, meruit de cruce transferri in paradysum. Audi Christum clamantem. Venite ad me oēs q̄ laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hinc tu tandem ad vocantem conuersus, dic. Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatae sunt super me. Tunc ille occurrens tibi, protinus te omni fasce liberabit, & expeditum ad se trahere incipiet, vt q̄ flagitijs coopertus mergebaris in profundum, iam his omnibus emūdatas ascendas in cælum.

Iohā. 10

Matth. 11

Psalm. 37.

De auersis a deo.
Cap. XI.

ET cum tanta felicitas sit eorum, qui ad deum conuersi mores suos corrigunt, non ambigimus æque grandem esse miseriam illorum qui obdurantur. Prædica, argue, obsecra, increpa opportunè, importunè. Nihil proficis, cum in spinis, quæ se-

- mentem verbi dei præfocant, seminas, vel super lapide, vbi semen radices agere non valens, arefcit, vel in via, vbi conculcatur & atteritur. Coram praua afuetudine corruptis hominibus, quoties de deo, de sanctis, de vitæ honeftate incidit fermo, corrugant nares, contrahunt frontem, os diftorquent, vultum auertunt, & taciti etiam dicere videntur. Durus eft hic fermo.
- Iohan. 6** Quis poteft eum audire? Tales erant pharifæi illi ac leges periti, quorum scelera cum argueret dominus, ceperunt (vt Lucas ait) grauitè infiftere, & os eius opprimere. De quibus in Iohanne conqueritur Saluator, & ait, Non poteftis audire fermonem meum. Dexteræ igitur aure carent, ne honefta audiant, veluri Malchus ille, cum a Petro vulnus accepiffet. Is tamen adduci ad Iefum vt curaretur fuffinuit. Ifri vero peruicacius auditum obruraffe videntur, vt afpifs, ne intelligant vocem fapienter incantantis Quod fivltra eis præcepta falutis ingerere perfeueraueris, indignantur, & iam in cõtumeliã prorumpunt. Totus in peccatis natus es, inquit, & doces nos? Vnde autem fit, q̃ tam obftinato propofito cælestem afpernentur difciplinam, parabola euangelij de nuptiis recitata docet. Ad quas inuitati quoniam venire noluerunt, alius (inquit) abiit in vilam fuam, alius ad negotiationem fuam. Delitiæ quippe huius feculi, & ipfa terrenæ opum cupiditas, auerunt animum a cæleftium contemplatione, & caduca bona æternis præferre compellunt, quæ hæc futura expectantur, illa vero præfenti voluptati deliniunt. Ita, vt quæ nondum habentur, iam vel non efle omnino, vel haberi non poffe credantur. Illi ergo q̃ tam impie subuerfi funt, nec fidei certæ, nec firmæ fpei funt. Alij luxuriæ, alij auaritiæ ftudent, & cum fenfuum fuorū affectibus feruiant, virtutibus vacui & ad vitia proni efficiuntur. Recedente enim domino de templo cordis eorum, non relinquitur lapis fuper lapidem, qui non defruatur. Vsq̃ adeo Barrabam. i. diabolum fibi dimitti gaudent, vt eundem Chrifto domino, qui pro ipsis crucifixus eft, anteferre non dubitent. Attendant tamen

si nondum penitus obsurduerunt, & cognoscant, ad se quidem omnia illa pertinere, quæ salutarem doctrinam nolentibus admittere, minatus est Christus dominus. ad illos enim quos iustitiæ suæ doctores constituit, & ad prædicandum gentibus destinavit, dixit, Quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo vel ciuitate, excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorraeorum in die iudicii, quam illi ciuitati. Sodoma enim & Gomorra ante euangelium subuersæ sunt, at isti vltro oblatum respuunt ac repellunt, dum præceptis eius contraria operantur. Omni-ram mentis peruersæ cæcitatem. Non vident quam labile bonum sit mundanæ luxuriæ voluptas cui adhærent, quam firmum & stabile cæleste regnum quod contemnunt, quam graue perpetuumque malum infernalis cruciatus, quem mox subire coguntur. Sed iam istos in damnationis interitum tam perinaciter currentes relinquamus, cum etiam ab ipso omnium domino relictum esse videantur: & illis pro tempore consulamus, qui ad capeffendas accedunt virtutes, vt in eo bono quod semel sibi proposuerint, constanter perseuerent. Sicut enim in vitis obdurare perniciosissimum est, ita in bene viuendi cura minus esse constantem, turpe indecorumque habetur.

Mat. 10

De animi constantia Ca. XII.

Firmum ac stabilem esse oportet dei seruum, nec iniuria lacesitum irasci, nec laudatum insolenter efferr. Vtrunque præstitit mulier illa Chananæa. Cum enim canibus compararetur, quibus non erat concedendus panis filiorum, non est indignata, sed magis semet submitit, dicens, quod etiam catelli micas panis comedant, quæ de mensa cadunt dominorum. Rursum cum responsum domini accepisset, Magna est fides tua, fiat tibi sicut vis, nequaquam tantæ commendationis gloria sese extulit, sed potius eandem humilitatem, quæ

Mat. 15

contempta non deseruerat, egregie deinde probata cōseruauit, fidei suæ magnitudinem magis ad diuinę largitatis gratiam referens, quam ad arbitrii sui libertatem. Quod si quicquam ex eo sibi iactanter arrogasset, filiam pro qua supplicauerat, sanam non recepisset. Et nos igitur si ab ijs, quæ nequiter commisimus, purgari cupimus, modis omnibus caueamus, ne in eodē relabamur luto, alioqui per inconstantia vitium, nec satis creduli esse argueremur, nec ipsa quæ intra nos est, sanari filia poterit. Est autem constantis animi repugnare cupiditatibus, a bono instituto nunquam deflecti, & cum semel ad colendam æqui honestiq; virtutem conuersus fueris, nusquam ab ea discedere velle, profecto qui sic sibi confiterit, intrepidus vitæ finem expectabit, spe certissima firmatus de morte se transiturum ad immortalitatem, & illam beatitudinem, quam nec fando exprimere, nec cogitando possumus complecti.

Luca. 6

Nos ergo tantæ mercedis cupiditate flagrantēs, cum sanctius viuendi domum ædificare cœperimus, fundamentum eius supra petram stabiliamus: & ipsam virtutum structuram nec malignoꝝ spirituum venti concutere poterunt, nec p̄sentium aduersitatum flumina obruere, immobilis inuictaq; persistabit, donec ad culmen vsq; perducatur summæ perpetuæq; integritatis. Frustra autem Christum in cordis nostri monumento cōdimus, si constantia lapidem ad ostium monumenti non admouemus, vt eo aditum inimicis Christi quantum in nobis est, phibeamus. Qui sunt isti inimici procul longe q; abigendi, nisi vitia ipsa quæ salutaribꝝ vitæ monitis reluctantur atq; obsistunt, & quicquid probe laudabiliter q; ædificatum fuerit, destruere festinant? Ab his quidem quicunq; se illæsum incontaminatumq; custodierit, hic vere Christi discipulus erit, cui idem dominus iure ac merito dicere poterit:

Matth. 16.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Ille enim vere petra est supra petram, qui dum Christi vestigijs innititur, in his in finem vsq; fixus perseueret, & in domino cōfidens, sicut mons Sion

non mouetur in æternum. Vt autē ista constantiæ virtus quanta sit magis pateat, instabilitatis quoque vitium quod execrandum habeatur, consideremus.

De animi inconstantia Ca. XIII

Quemadmodum firmum & constantem animum supra petreæ soliditatem ædificare diximus, & id quod ab eo fabricatum fuerit, contra dæmonum præualere certamina, quam aduersus malorum, quæ mortalibus contingunt, acerbiter: ita e contrario debilem, & in proposito minus persistentem, domui illi comparandum esse arbitramur, quam molis arenæ impositam & ventorum concutit flatus, & impetus subruit fluuiorum, atque ad solum usque concidere compellit. Is enim qui inconstans fuerit, facile quidem & fraudibus diaboli cedit, & violentiæ persecutionum, & fastui ambitionis & cumulandarum opum cupidini. Seruabit fortasse fidem quamdiu nemo aduersabit. sed si quæ fœdæ voluptatis appetitione cor titillare serpentis antiqui calliditas cœperit, si tyrānus minari necem, si collati magistratus dignitas efferre, si animum habendi auiditas inquietare, adulterio inqñabitur, ut Herodes: metu ad negandum subuertetur, ut Petrus. Optimum quemque contemnet, ut pontifices & scribæ Christum, dum lucra sectatur ut Iudas, nec furtis abstinebit, nec sacrilegio. Quam autem turpissimum sit, cum bene cœperis male desinere, & nunc hoc, nunc aliud velle, aliæ quoque in euangelio similitudines indicio sunt. Inconstantis quippe hominis volubilitas comparatur arundini vento agitatae, dum Iohannes baptista talis non esse asseritur. Adde quod arundo ipsa & fragile lignum sit & infructuosum, vacuumque intus, ac nodis quidem plurimis intersectum. Ita vir sibi minus constans, tentationibus succumbit, bonarum actionum sterilis est, vanitatibus affluit, & multorum vinculis in nodatur peccatorum. Eundem lunatico illi conferre possumus, quem nunc in ignem, nunc in aquam ca-

Luca. 6

Matt. 11

dere solere dixerunt. Inconstans igitur ut luna mutatur; & cum iam pene plenus bonorum creditur, tunc deficere incipit; cumque alternis motibus agitur, & nunc igne charitatis incalescat, nunc aqua malitiae frigat, promptius tamen ad id quod malum est rapitur, & ad peccata declinat. Quam autem difficulter, ne in scelere perseveret, effici queat, discite. Lunaticum hunc apostoli curare non potuerunt, a Christo sanatus est, qui ipsis mirantibus, quare sibi id non licuerit, dixit, hoc daemoniorum genus non posse eici nisi per orationem & ieiunium, ostendens gravissimam quidem esse animi aegritudinem, inconstantiam. Hanc praeterea rotarum instabilitati comparat scriptura; Praecordia fatui (inquit) quasi rota carri, & quasi axis versatilis, cogitatus illius. Et quoniam rota ista non solum instabilis est, sed etiam dum tracto curru vertitur, magnos edit stridores, & crebra reuolutione atteritur ac deperit. Sic hominis inconstantis leuitas quicquid bene fecerit, ipse suas laudationes iactabundus garrat; & factus illud, quo meritum aliquod apud deum consequi sibi potuisset, euacuat inanis gloriae cupiditate; deinde hanc ipsam gloriam prauis operibus, ad quam semper pronior est, destruit; & in suam infamiam turpiter conuertit. Nam quamuis aliquando etiam non improbi ingenij esse videantur, nunquam tamen non maiore sui parte malus est. De quo Iacobus apostolus, Vir inquit, duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Quippe qui nunc hoc, nunc illud appetit, cui quod modo placuit, modo displicet, & rursus quod displicebat, placet. Qui si quando boni aliquid agere aggreditur, semper antequam perficiat, cessat, atque idem nec sedere, nec stare diu potest. Multiplex, varius, discors est, secum pugnans, sibi quaeque contrarius, nec in verbis nec in factis idem. Profecto qui talis est, nunquam aliquo honestioris vitae studio proficere poterit, immo cum in seculi huius pelago vela factens frequenter naufragetur, mergendum tandem in profundo inferni facile coniici potest. Nunquam enim sic resipiscit, ut non

cras deterior q̄ hodie sit. Nos ergo ne quādo ad eius tā
damnosam animi mobilitatem, tam periculi plenam de-
clinemus, discamus post constantiam etiam fortes esse
Et iam de ipsa fortitudinis virtute, ꝑut nobis diuinus
euangelij sermo suggerit, disseramus.

¶ De animi fortitudine. Ca. XIII.

Fortis animo is est, qui nulli rerum fragilitū cupi-
dini succumbit, & neq; aduersitatibus frangitur,
neq; prosperitatibus insolescit; cælestibus tantū-
modo bonis adipiscendis inhiat, cætera contemnit.
Fortis est igitur qui vincit auaritiam, & audit domi-
num dicentem: Cauete ab omni auaritia, quia non in
abūdantia cuiusquā vita eius ex ijs quæ possidet. Supe-
rata autem auaritia, ad munificentiam liberalitatem-
que se confert: & ea quæ habet, indigentibus dilargi-
tur, dum ad perfectioris vitæ sublimitatem ascende-
re festinat, iuxta illud saluatoris dictum: Si vis perfe-
ctus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da paupe-
ribus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere
me. Non erat perfectio contemnere diuitias, nisi addi-
disset dominus, veni sequere me. Omnibus abundare
virtutibus quærit, qui Christū imitari decernit. Chri-
sti enim imitator quam primum veterem exiit hoīem
& induit nouum, superbiam mutat humilitate, iracun-
diam lenitate, incontinentiam castitate, & breuiter
vitium virtute. Atq; ita malarum passionum victor ef-
ficatur, cum ad diuersas ab his actiones animum con-
uertere cœperit. In his deinde confirmatus omnes præ-
sentium tribulationum ictus excipit clypeo patientiæ,
de omnibus deo gratias agens, minusque se pati con-
fitens, quam peccata sua mereatur. Hoc est illud quod
præcipit dominus, & ait: Qui vult venire post me ab-
neget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur
me. Ac ne quis crucis nomine, quod dura aspera que si-
gnificat, turbetur, discipulos suos consolatus est, di-
cens: In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego
vici mundum, quasi diceret: Sicut ego propria virtu-

Luc. 12

Matth. 19.

Matth. 17.

Iohan. 16.

te calcavi mundi huius æumnas, ita & vobis vincendi facultatem cōferam, vt per me mala omnia magno animo perferendo, illis omnibus fortiores potentioresq; sitis, tantum non in vobis sed in me spem fidutiā que habeatis. Hunc præterea fortis animi vir, Christi domini sectatorem, quemadmodum aduersa non deſciunt, ita nec secunda arroganter erigunt. Frustra enim in aduersis vinceret, si in prosperis per inanis gloriae appetentiam superaretur. Itaq; in dignitate constitutus non sibi blanditur, sed alijs prodesse affectat, nec tam præpositum se esse meminit, quam eorum quibus præest ministrum, a domino admonitus dicente: **Matth. 10.** Quicumq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Præstantis autem ac strenui animi est, dominandi cupidinem, quæ sæpe robustissimos vicit, superare, ipsamq; regum pompam & principum luxuriā pro nihilo ducere, atq; in omnibus cum Christo humiliari. Quid enim esse potest maius Christo? qui eiuscemodi humilitatem sic in se commendauit, vt dei filius non dedignaretur esse hominis filius, & formam serui assumere, cum esset omnium dominus. Deniq; fugisse dicitur in euangelio, cum eum regem facere vellēt. **Iohā. 18.** Et non est regnum meum de hoc mundo inquit, vt suo exemplo non in terra regnare, sed in cælo desideremus. Vnde & mercedem humilitatis, & non humilitatis pœnam proposuit, dicens: Qui se humiliat, exaltabitur: & qui se exaltat, humiliabitur. Ad hanc animi fortitudinem pertinet, ipsam etiam, quam præcipue vulgus formidat, mortem contemnerē: nec vllō supplicij genere sic terreri, vt a bono honestoq; discedas. **Matth. 10** Nolite timere eos (inquit) qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Si ergo casus inciderit, vt aut moriendum sit, aut peccandum, eligatur potius mors corporis quam animæ,

mors enim animæ peccatum est. Quod si metu mortis percussus, vitæ fragili & velis nolis cito perituræ tunc peperceris, illam stabilem & immortalem, qua sancti fruuntur, amittes. Ait enim: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Nam si quis peccare mauult quam mori, hic sibi viuet, & deo morietur. Deo autem mori, est in inferni barathrum ruere, & nullum cum ijs qui vere viuunt habere consortium. Sequitur: Et qui perdidit animam suam propter me, inueniet eam. Sed ne forte dubius & incertus quæras, quo locorum inueniet eam, ait: Vbi ego sum, illic & minister meus erit. Quid autem illo homine felicius, qui merebitur esse socius Christi? Sed si cū illo simul viuere volumus, mundo moriamur nullum recusantes, quo deo gratificari possimus laborem, nulli cedentes aduersantibus persecutioni. Nam dum tyrannus minatur necem, Christus aperit paradysum; dum homo impius tormentis cruciat, clemens deus refrigerij sempiterni sedem constanter tolerantibus parat, præmiique magnitudine tanto ampliat magis, quanto grauius pro amore suo affligimur, si tamen vindictam in eos qui affligunt, non appetimus, sed e contrario bene illis facimus beneque optamus, a quibus male accipimur, dicente domino: Diligite inimicos vestros, & benefacite ijs qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. Hoc prior præstitit ipse qui præcepit, deinde serui eius, qui suis persecutoribus monstrabant viam salutis, & a quibus tormenta patiebantur, eis ignosci orabant. Proprium itaque Christianæ fortitudinis est se ipsum vincere, & affectibus contra rationem nitentibus imperare, nec carni, sed spiritui obedire, ipsumque dominum pro viribus imitari, eique sese quam simillimum reddere. Sed iam fortitudine contrariam pusilli animi imbecillitatem in medium proferamus. Fit enim vt magis elucescat virtus ex comparatione vitiorum.

Iohan. 12

Mat. 5.

¶ De animi imbecillitate. Cap. XV.

SI eum fortem esse constituimus, qui cupiditatibus dominatur, quis erit imbecillus & infirmus, nisi qui sese his in seruitutem dederit? Hæc autem seruitus multo turpior atque scelerior est, quam illa quæ fecit captiuitas, aut quam nascendi attulit conditio. Neutra enim istarum officit, quin etiam in ipsis magis liberi dominis nostris esse possimus. Maior quippe libertas est, non esse subiectum vitis, quam non esse hominis mancipium. Vere igitur imbecillus est, quem superat auaritia, vel fraudulentia, vel simulatio, vel arrogantia, vel vana gloria, vel ira, vel gula, vel luxuria, vel libido, vel inconstantia, vel timor, vel otiositas, vel eorum quæ ab ecclesia recepta sunt, incredulitas, cætera que id genus: quæ quoniam rationi naturæque repugnant, quisquis illis seruerit, non iam inter homines computandus, sed inter pecudes erit numerandus. Ratio enim propria hominis est, bestiarum autem natura id tantum sequi quod suggerit appetitus, nullumque boni ac mali discrimen habere in his quæ appetuntur. Imbecillus es igitur, si iugo premeris auaritiæ, cui seruiendo non poteris seruire deo. Non potestis (inquit) deo seruire & mammonæ, hoc est, deo & diuitiis. Syri enim diuitias mammonam appellant. Qui autem diuitias præferunt Christo, & nihil egeno porrigunt, ipso dei filio in fine iudicante audituri sunt: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Cuius criminis conuictus diues ille, qui se tantum pascebat, in inferno sepelitur, ut semper miser sit, quem miserorum non tetigit pietas, dum sua cupide retinet, & pecuniam magis quam Christum diligit. Imbecillus item es, quando alterum dolo seducere contendis: ab iniustitiæ enim vitio superaris, quoties alios fraude aliqua supplantare moliris. Non poterit in eo pectore habitare Christus, in quo domicilium sibi fecit dolus. Nam ipse de eiusmodi homine dixit: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput suum

Matth. 6.

Matth. 8

reclinat. Non habet Christus ibi requiem, ubi strabulatur vulpinæ fraudes, & volucrum instar alte se erigētis hominis elatio. Fraudulentia autem comes est simulationis. Semper enim simulationibus utitur fraudulentus, aliud facile præferens, aliud in corde occultans. Qui licet homines fallat, deum non potest decipere. Si modestum, si pium, si castum, si denique iustum se esse finxerit, cum longe alius sit, nonne cum illis damnabitur quibus dictum est: Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod de foris est calicis & parapsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Væ vobis qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & spurcitia. Quanto igitur melius id esse quod apparere vis, quam quod non es videri velle? Imbecillus quoque es, si committis ut te sibi subiiciat superbia, teque arroganter incedere cogat. Ea superatus, alijs præferri concupisces, & plus honoris quam quod mereris, tibi exhiberi postulabis. Quam rem scribis & pharisæis exprobrans dominus ait: Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant simbrias: amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi. Ergo & inanis gloriæ cupido arrogantibus dominatur, de quibus in euangelio Iohannis dicitur. Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam dei. Statuit ergo eos diabolus supra claræ iactantiæ pinnaculum, ut quo altius ascenderint, grauius elidantur cum ceciderint. Vis nosse quam infirmi sint qui sic corruunt? non vi coacti, sed vobis delinuti sua sponte labuntur. Diabolus enim nisi imbecillior homine esset, non ei quem supra templum posuerat, dixisset, mitte te deorsum, sed ipsemet eum præcipitem dare tentasset. Quis ergo corruit, nisi qui imbecillis inimici callidæ suggestioni paret? ut non iuitus sed volens subuertat & cadat. A quo quidem casu eo difficilius exurgunt ambiosi, qui magis adulantium sibi palpatione delectantur,

Matt. 23.

Ibidem.

Iohã. 12.

Luc. 4.

Ideo in euangelio dictum est: Væ vobis cum benedixe-
 rint vobis omnes homines. Et per prophetam domi-
 nus: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipi-
 unt, & viam gressuum tuorum dissipant. Væ ergo illis
 qui per adulationem ita hallucinantur, vt se peccato-
 res esse non agnoscant cum laudantur. Cares præterea
 mentis fortitudine, si te iracundia occupat & furere
 compellit. Talis fuit sacerdotum ille princeps, qui cum
 audisset Iesum confitentem se a dextris dei sedere, in
 rabiem concitatus vestimenta scidit, & in clamorem p-
 rupit, blasphemum eum vocans, qui assertor erat veri-
 tatis. Neq; enim potuit quod verum erat intelligere,
 ira præpeditus, aut quod rectum est iudicare. Vt scadeo
 excæcari solent, qui supra modum irascuntur. Sed ne-
 que ille fortis est habendus, qui ventri seruit, & omne
 suum studium in cibo potuq; delicatius quam vitæ ra-
 tto postulat, comparando ponit. Vt autem cognoscas
 quam perniciosam gulæ seruitus sit, de manducante &
 bibente cum ebriosis in euangelio est scriptum, q; di-
 uidet eum dominus, partemq; eius ponet cum hypocri-
 tis, vt videlicet ibi ficta crucietur abstinencia, vbi si-
 mulata torquetur sanctitas. Illic (inquit) erit fletus &
 stridor dentium, vt miserabiliter lugeant, qui in con-
 iuijs immoderate lætati sunt, & esuriendo siccis crepi-
 tent dentibus, q; esculentis poculentisq; resperferant
 crapulando. Atq; ideo alibi dicit, Væ vobis qui saturati
 estis, quia esurietis. Qui autem gulæ atque ventri sese in
 seruitutem dedit, idem luxuriæ libidinisque vitio fa-
 cile cedit. Ventris enim repletionem venas inflari intum-
 escereque necesse est, & inde pudenda ipsa in Venerem
 concitari, & in turpem pruritum exardescere. Quam
 autem male cum illo agitur, qui his affectibus est ad-
 dictus, prodigi filij in euangelio miserabilis testatur
 euentus. Deuorasse dicitur substantiam suam cum me-
 retricibus, & ad inopiam redactus pauisse porcos. Ete-
 nim substantiam nostram deuoramus, cum per peccā-
 tum diuinæ gratiæ lumen in nobis consumimus, atq;
 ita porcos pascimus, rem gratam faciendo immundis

Luc. 6.
Isa. 3.

Mat. 26

Matth. 24.

Luc. 6.

Luc. 15

spiritibus, q nos ad impudicitiam stimulant, & si pctō
 inqnatos viderint, gaudent. & eccare aut non tantū ope
 libidinoso scedoque, veyetiam turpi cogitatione pos-
 sumus, dicente dño. Omnis q viderit multerē ad con-
 cupiscendum eā, iam mōchatus est eam in corde suo.
 Hoc autem qd viris dicitur, etiam mulieres respicit,
 quia caput mulieris vir est, ita fit, vt quod capiti veti-
 tum est, nec corpori licere intelligatur, præterea imbe-
 cilli animi certissimum argumentum est, voluntas in-
 certa, nunc hoc aliud placet, proposito semper labanti
 & instabili. Quod si ille qui bene institutus perseverat
 vsque in finem, saluus erit, nonne is qui in via vitæ
 multiplex ac varius est, procul erit a salute? Profecto
 nihil prodest corrigi, vbi contingit repente depraua-
 ri. Sed cætera percurramus, cum de isto inconstantia
 vitio abunde dictum est supra. Igitur neque ille fortis
 erit, qui timore perterritus delinquit, & dum vel rege
 suarum vel corporis detrimentum, vel vitæ periculū
 cauet, deum offendere non veretur. Timuit Pilatus Ce-
 sarem, quando Christum damnauit, quem confessus e-
 rat esse innocentem. Timuerunt apostoli, cum compre-
 hendi vidissent Iesum, & dum fragili vitæ metuūt, ve-
 ram deserendo fugerunt. Timuit Petrus, quando do-
 minum se nosse negauit, pro quo postea spiritus sancto
 confirmatus mori non timuit. Infirmi etiam atque ab-
 iecti animi indicium est otiositas. Nonnulli quippe vir-
 tutis operibus ideo exerceri nolunt, quia verentur ne
 labori succumbant, maluntque ignauo otio torpescere,
 quam vllam religiosæ vitæ fatigationem subire. Hi
 sunt palmites illi infructuosi, a vera vitæ abscinden-
 di, & cum nullum sanctæ actionis humorem ha-
 bentes exaruerint, mittendi in ignem vt ardeant. Tem-
 pus enim ad bene agendum datum, nihil agendo con-
 sumpserunt, defoderuntque in terra talentum, a do-
 mino ideo commodatum, vt rediens exigat illud cum
 scenore. Et si hac lege talentum istud accipimus, quo
 modo restituemus, si lucri nihil fecerimus? Postre-
 mo qui animo imbecillo est, ne fidelis quidem esse

Mat. 5.

Luc. 21
Marc. 14.

Ioh. 15.

Marc. 4.

poterit. Semper enim dubius pendet, & dum errare metuit, errat, diuersarum gentium diuersas considerat sectas, & cui earum adhærendum sit, incertus fluctuat. Cum nulla vereor credibiliorque religio sit, quam quæ deo autore tradita est hominibus. Istos vero qui adhuc in ambiguo versantes nihil affirmare audent, pusilli animi esse declarat ipse dominus, qui discipulis tempestatem formidantibus. Quid (inquit) timidi estis, necdum habetis fidem? De talibus alibi ait. Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Ac ne plura enumerando longius protrahatur oratio, cuiusque vitia dominantur, imbecillus & infirmus est. Fortis autem inuictus, cui adest virtus, quem non deserit ratio, qua ipse suam voluntatem a seculi voluptatibus auersam, ad ea quæ cælo digna sunt, dirigit, & ad æterna properans, ea quæ temporalia sunt, constanti atque erecto animo contemnit.

¶ De contemptu gloriæ. Ca. XVI.

Matth. 8.
Luc. 5.

Mar. 9

Quod si in fortibus censerî cupimus, propter iam dicta, hominum rumusculos & famæ mundanæ blandimenta ne aucupemur. Si quid benefeceris, notum esse ei sat est, qui fidelium hominum benefacta, æternæ beatitudinis mercede compensat. Inanem autem gloriâ semp fugiendâ esse saluator noster & exemplo monstrauit, & præceptis docuit. Descendens de monte, leproso mundato iniunxit ne cui diceret, in hoc instruens oportere nos quidem beneficos esse erga proximum, & tamen laudationes hominum non querere. Duobus quoque cæcis, cum redintegratis oculis visum eis contulisset, comminatur dicitur, ut cauerent ne quis sciat, quamuis euangelista subiungens dicat. Illi autem exeuntes (in domo enim sanati fuerant) diffamauerunt eum in tota terra illa. Ex quo discimus, beneficia quæ contulimus, tacere quidem, quæ autem recepimus, prædicare, ut in altero ostentatio, in altero vitetur ingratitude. Idcirco cæci isti post acceptam sanitatem, ne iussi quidem silentium tenere potuerunt, neque tamen ob hoc reprehenduntur, quia & dominus

ideo iussit vt doceret humilitatem, & illi ideo non obedierunt, ne magis ingratitude offenderent. Iterum gloriam hominum minime appetendam esse ostendens cū multos aduersa valetudine varijsq; morbis oppressos pristinae sanitati restituisset, præcepit eis, vt Matthæus ait, ne manifestum se facerent. Quanquam enim non possumus non esse manifesti, q̄ties erga plurimos pietate liberalitateq; vtimur, nulli tamen alijs, nisi soli deo hoc quod pro eius amore præstamus, notum fieri cupere debemus. Quemadmodum in ihs qui graui morbo liberati sunt, sanitas latere non poterat, & tamen ipse q̄ eam induxit medicus, quasi latere posset, ne vulgaretur imperauit, testatus bona quidem omni loco, omni tempore facienda esse, non tamen ideo vt alijs sciant, sed vt obsequium præstetur deo, qui ea fieri præcipit, ad suam, non ad hominum gloriam, vt eam mercedem, quam nemo alius præstare potest, ab ipso recipere mereamur. Nullo modo celari potest illius vita, quem mortuum fuisse omnibus manifestum est, & in dñs filia archisynagogi suscitata, non solum præcepit se dicitur, sed vehementer præcepisse, vt nemo id sciret. Quorsum ergo spectat, quod ita præcipiat, nisi ne per bonum quod agimus, vulgi vuculas requiramus? Qui enim id captant, mercedem a dño pmissam non merentur. Sed quæri p̄t, cum toties opasua p̄ceptor humilitatis celari iusserit, cur apud Gergezeos dæmoniaco sanato dixit, Redi in domum tuam, & narra q̄ta tibi fecit deus, quare hic nuntari mandat, q̄d in supradictis regi silentio præcipit? Respondeamus, quia alibi de se tanquam de homine silentium imponendo, tactantiam vitandam docuit. hic autem quasi de deo narrare oportere non dissimulauit, vt & nos quicquid bene agim⁹, non ad nostram, sed ad dei laudem referamus. Itaque non dixit, quanta ego, sed quanta tibi fecit deus. Illud quoq; qualiter accipi debeat, nunc indagandum occurrit, quod in Marco scriptū legimus, Et ingressus domū neminem voluit scire, & non potuit latere. Sed hoc apud gentiles in finibus Tyri & Sidonis gestū esse me-

Matt. 12.

Mar. 5

Lucæ. 8.

Marci. 7.

Marc. 7

Ibidem

minisse debemus, quibus non antequam Iudæis prædicandum erat euangelium. Quia ergo vulgandi gentibus euangelij nondum tempus erat, dominus Iesus noluit tunc illis nuntari per apostolos, sed tantum agnoscere per miracula, his duntaxat, qui vitro ad fidem venturi erant. Non ergo voluit aliquid quod non potuit, sed & quomodo voluit, latuit; & quomodo noluit, latere non potuit. rogatusq; a muliere Syrophœnissa, filiam eius a dæmonis vexatione liberavit, ut dum verbi prædicatio subtrahitur, mirabilium operatio credere volentes inuitaret. Neq; enim repudiari debent, qui non vocati ad Christum veniunt, si etiam vocati cum venerint, saluentur. Cæterum quia gloriæ contemptorem etiam inuitum ac nolentem sequitur gloria, apud eundem euangelistam habemus, q̄ Saluator noster, his qui surdum & mutum hominem ad se adduxerant, & sicut rogarunt, sanum receperant, præcepit ne cui dicerent: sed quanto magis præcipiebat ut tacerent, tanto plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui. Præcipiebat sane ut taceret, sed tamen prædicantes non increpuit. Quo etiam nos opera nostra, & ad laudem nostram latere velimus, & ad profectum aliorum non latere. Sciebat enim ille, cui etiam futura præsentia sunt, quia magis prædicaturi erant, quod multis profuturum esset, & nequaquam ex hac causa silentium imperabat, sed ex ea, qua inanem gloriam non admittebat. Alioquin superuacaneum foret iubere aliquid eis, quos contrarium facturos non ignorabat. In omnibus igitur iustitiæ pietatisq; opibus querendæ propriæ laudis absit intentio, sed alienæ utilitatis causa, ut innotescamus non desit charitas, & id quoties videbitur opportunum, hoc est, cum non sit periculum ut vel auditor iactantiæ crimen imputet, vel doctor committat. Quod quoniam frequenter contingit, semper tutius existima, nihil de te prædicare, nihil quod deo teste agis, ab alijs inspicere velle. Gloriæ quippe mundanæ cupiditate duci omnino nefas esse etiam

tunc monstrauit dominus, cum diceret: Ego non quæro gloriam meam, Qui illum vere imitari desiderat, non quærat gloriam suam, sed gloriam dei, monente Apostolo ac dicente: Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Illi omnia in gloriam dei faciunt, quod nihil ex his, quæ bene laudabiliterque agunt, sibi arrogat: sed cuncta ad gratiam dei, qua semper indigemus, referunt. Latere volunt, ne ipsi laudentur: latere nolunt, ut laudetur deus, obseruantes præceptum dicentis: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Neque hoc repugnare putemus alteri sententiæ postea dictæ. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. Per hoc enim quod subiunxit. Ut videamini ab eis, ostentationem facti prohibet, non spectaculum. Eadem ratione & eleemosynam fieri iubet in occulto, & orationem in abscondito, ut totum optimi cuiusque studium sit, non suam laudem, sed dei quærere. Huiusmodi occultationem & parabola illa nobis in sinuat. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo, abscondit. Thesaurum in agro, vitam perfectiorem in ecclesia intellige. Hanc cum inueneris, ita abscondere debes, ut quod per gratiam spiritus sancti adeptus es, per tuam inanem iactantiam non amittas. Et quoniam hoc cæleste donum comparari non potest, nisi contemnantur terrena. Vadium, inquit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit ager illum. Renuntiat enim omnibus carnis voluptatibus qui perfectus est, ut voluptate spiritus quæ in deo habetur, frui possit. Quanto tamen perfectior fuerit, tanto minus latere poterit. Non potest abscondi ciuitas in monte posita, neque lucerna super candelabrum lucens. Quamuis in solitudine & in montibus. ferarum perat cubilia ab humano cultu semotus, deo tamen volente, perditur, ut alij suo exemplo ad calcandam mundi gloriam, cælestium amore accendantur. Solus ergo in domino gloriari poterit, qui vanitatis humanæ pompam honoresque con-

Iohan. 8

1. Cor. 10.

Mat. 5.

Mat. 13

Gal. 6.

temperit. Sic enim & Apostolus gloriatus est, dicens: Absit mihi gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et si humilitas ista sanctos deceat, pfecto non sancti sed stulti sunt, qui terrenæ laudis honore delectantur. Horum nunc dementia veri assertionem ostendenda est, ne quis errore lapsus vitium amplectatur, p virtute: & dum honorari ab hominibus appetit, a deo reprobari mereatur.

De gloriæ appetitione. Ca. XVII

Matth. 23

Scribas & pharisæos inanis gloriæ arguebat dominus, cum de illis diceret: Omnia opera sua faciunt vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. amant autē primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi. Igitur q gloriā hominum appetit, non Christum, sed Christi aduersarios, scribas & pharisæos imitatur: quantoq; magis humano ore laudari concupiscit, tanto grauius iudicio condemnatur diuino. Multos quidem vanæ gloriæ cupiditas a Christi religione dissidere, & cōtra veritatem stare compellit. Dum enim cæteris ingento & eruditione p̄stare videri volunt, scripturæ sensus ab ecclesia receptos atq; approbatos impugnare nituntur, nec ad hæreticorum prauitatem declinare timent, vt aliquid se acutius inuestigasse rudi plebeculæ persuadeant, & apud indoctos doctorum laudem sibi comparent. Quamobrem talibus est dictum: Quomodo vos potestis credere, qui gloriā ab inuicem accipitis, & gloriā quæ a solo deo est, non quæritis? Pleriq; autē eodem appetendæ gloriæ vitio superati, tametsi fideles sint, si tamen ab infidelibus honorantur, cauent ore confiteri, quod corde credunt, & humanam laudem fide ipsa potiore habent. Siquidem tales illi erant, de quibus Iohannes memorat, dicens: Ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter pharisæos non confitebantur, ne de synagoga eicerentur. Dilexerunt enim

Iohan. 5.

Iohan. 12

gloriam hominum magis quam gloriam dei. Quam ergo perniciosum vitium est inanis gloria, quæ alios ita infatuat, vt Christum confiteri non audeant, alios etiam vt negare non vereantur. Verum esse quod dicimus, nostræ quoq; ætatis exempla probant. Vidimus non paucos ex Christianis transisse ad Machumetanos & præfecturæ sibi collatæ honore illectos, eorū ritus legesq; subisse, maluisseq; sine Christo, quam sine potestate viuere. Cæterum ne illi quidem, quamuis cum fidelibus censeantur, virtutum suarum fructū aliquem referre poterunt, qui in his non ad laudem dei, sed ad plebis plausum exercentur. Humilitatem præ se ferūt, & in postremo conuiuī loco discumbunt, non quia humiles sint, sed vt esse videantur. Vel sicut in euangelio dicitur. Exterminant facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes, eleemosynas faciunt, & tubis insonant ostentationis, vt misericordiæ sibi laudem vendicent. Atq; ita bonum opus malo fine corrumpunt. Cūq; ab ipso bonarum actionum remuneratore deo mercedem recipere potuissent æternam, fragilem & caducam malunt, fucum videlicet istum volatilem auræ popularis. Huius tam peruersæ sanctimonix & illi erant, qui saluatorem nostrum interrogauerunt, dicentes. Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? Quæ autem utilitas est, vacuum cibo gerere ventrem, & gloriæ cupiditate repleri? Hac tamen & pharisæus ille refertus erat, quem certe nec coram deo puduit arrogantius q̄ decebat sese efferre. Deus, gratias ago tibi inquit, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, veluti etiam hic publicanus, ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Gratias quidem deo agere debuit, sed alijs detrahere, seq; tam improba iactatione efferre nō debuit. Sic reliquos depressit, quasi sibi æquandus esset nemo, sic seme tīp̄m commendauit quasi ad ea quæ faciebat, nihil ultra addi oporteret, cum ieiunare adiuumentum potius virtutis quem v̄tus sit, & decimas dare, æs alienum soluere, non aliquid sua spē offerre.

Mat. 6

Marc. 2

Luc. 18

Tantum autem hac ostentatione profecit, vt publicano quem procaciter taxauerat, minus iustus de templo discederet, documentoq; esset, peccatorem qui se humiliat, magis esse deo charum, q̄ innocentem qui sese alijs p̄ferendum iactat. Non possumus tamen, quin tangamur aliquando gloriæ palpatione, sed statim aduocanda ratio est, vt quod caro blanditur mentis iudicio, pertinus repellatur. Nam & apostolos Zebedæi filios honoris tentauit ambitio, cū alter ad dexteram, alter ad sinistram domini, quem mox in terra regnaturus putabant, sedere concupissent. Et quoniam terrenis adhuc affectibus ducebantur, responsum est eis. Nescitis quid petatis. Quod si nescit quid petat, q̄ præferri cæteris appetit, non ne cæcos & improuidos homines facit ipsa humanæ laudis affectatio? Etenim dum laudari cupiunt, ad vulgi opinionem viuant necesse est, & magis placeant simulatione q̄ veritate. Necesse est etiam vt offensi irascantur, ne timidi & abiecti reputentur: vt inuideant, ne alijs minoris existimationis habeantur, vt reliqua huiusmodi perpetrent, quæ vulgus fieri amat, quamuis ea boni & æqui rō non admittat. Ideo sane Apostoli p̄ceptum est. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Cum igitur plurimum mali ex laudis humanæ captatione soleat oriri, & nihil solidi boni nasci, quin immo cælestis merces, quæ nobis a domino promissa est, tolli, quandoquidem illi qui sic afficiuntur, mercedem dicuntur accepisse, contēpra huiusce vanitatis cura. Apostolum audiamus monētem. Qui gloriatur, in dño gloriatur. Non em̄ qui seipm̄ commendat, ille p̄batus est, sed quem deus commendat. Audiamus & dominum præcipientem. Cum omnia feceritis quæ præcepta sunt vobis, dicite. Serui inutiles sumus, fecimus enim quod facere debuimus. Ad hæc semper peccatores nos esse meminimus. Si enim dixerimus quia peccatum non habemus, nosipfos seducimus, & veritas in nobis non est. Denique nihil boni vel in nobis, vel extra nos esse, de quo quasi de nostro gloriari possumus, dicen-

re Apostolo. Quid habes quod non accepisti? & si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Cum ergo cuncta quæ agimus aut dicimus laude digna, ad deum referenda sint, ut ad bonorum omnium autorem atque largitorem, profecto aliquid ex his nostræ virtuti ascribere velle, summæ ingratitude crimen est, arrogantiaque non ferendæ. Facile autem gloriam præsentem contemnet, qui semper fragilitatis humanæ memor erit, quam in primis mortis nostræ testatur cōditio, de qua peropportune quidem nunc tractabitur.

1. Cor. 4.

¶ De mortis conditione. Cap. XVIII

Non est ibi stabilis gloria, ubi non est vita diuturna. Nobilem ignobili, liberum seruo, diuitē pauperi, strenuum ignauro, doctum indocto, sapientem stulto, regem denique priuato æquat mors. Et si fama superstes viuat, quid ad te? quam voluptatē ex eo capies, si non audis quid de te post te dicent homines? Solent illi quidem qui per adulationem uiuo laudes dixerunt, de mortuo nonnihil obloqui, quippe cuius iam neque beneuolentiam captent, neque vim formident. Sed esto ut lauderis, & in ore uiuas multorum, & hoc insuper ab te illi, qui ad inferos descendunt, perferant, nunquid nuncio isto illa tibi leuare cruciatus poterunt, & non magis grauare, si ideo te noueris fuisse damnatum, quia non uirtuti laborasti dum uiueres, sed gloriæ, & hominibus magis placere quam deo sollicitus fuisti? Quam igitur imprudenter, imo quam stulte inanis gloria quæritur, quæ etiā in infamiam verti potest, & si non vertatur, vel ignorata nihil iuuat, vel cognita plus doloris ei cuius est, affert quam consolationis. Quid profuit diuiti in euangelio quotidie splendide epulari, purpura byssoque indutum in publicum procedere, a plurimis honorari? aut quid nocuit Lazaro mendico canibus tantum quæ hucera eius lungebant, esse notum? Si hic defunctus ab angelis in sinu Abrahamæ collocatur, si ille in inferno sepelitur, & in igne ardet, & gutta aquæ

Luca. 16.

Mat. 26

Iohan. 14.

Iohan. 5

indiget, & nullum supplicij finem sperat? Vtriusq; exitum cōsidera, & iam magis optabis inglorius & ignotus deo seruire, quam quærendæ laudis gratia, vrbib⁹ ac prouincijs imperare. Nunc reliqua, quæ ad mortem hominis pertineant, euangelij loca præcurrendo, more horticulis inter salubres herbas, eam tātum, quæ ad præsentem vsu facit decerpentes, inquiramus. Naturale est omnibus animantibus mortem timere. In his tamen quæ ratione vtuntur. i. in hominibus, timorem istum a natura insitum, vitæ immortalis cupiditas superat ac vincit. Vtrunq; de saluatore nostro euangelista nobis, pdidere. Sic enim in Matthæo legimus. Cœpit Iesus contristari & mœstus esse. tunc ait illis, Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Quamuis alij mœstittæ huius causam assignent non timori mortis, sed ei dolori quem capiebat ex perditione Iudæ proditoris, aliorumq; in se credere nolentium, posset hoc tamen, quod propinqua iam passione est dictū, & ad metum mortis referri, non tam quia timuit, quam vt hac etiam in re, sicut in cæteris in se hominis naturā ostenderet. Separari autem a corpore nemo est q; vellet, nisi idem per separationem istam ad æternā beatitudinem se transiturum speraret. Paulus apostolus nunquā dixisset. Cupio dissolui, nisi cupitē dissolutionis causa potior subesset, quam in corpore viuere, quam ipse ostendit continuo subiungens. Et esse cum Christo. Christus autem postquam cœpit contristari, vel vt alius euangelista ait, tædere & pauere, ex natura passibili & infirma, ex eadem paulo post dixit. Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Sed quoniam ratio ipsa in nobis vincere debet naturalem carnis motū, nihil moratus intulit. Veruntamen non sicut ego volo sed sicut tu. Vt semper dei voluntas præferatur hominis voluntati. Vis non timere mortem? crede in illum q; ait, Ego sum via veritas & vita. Hic est enim via morum, veritas fidei, vita retributionis. Propterea quidem etiam hortatur nos dicens. Amen amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei q; misit me, habet vi-

vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit a morte invitã. Quod si in Adam morimur, & in Christo reuiuiscimus, si de morte nobis transitus est ad vitam, nõ est cur mortalitatem exui timeamus, mox immortalitatem induendi, tantoq; minus cum etiam corpus nostrum rursus assumpturi simus, nõ quale depõnimus, tetrum, tardum, graue, ignobile, terrenum, fragile, mortale, sed lucidum, agile, leue, gloriosum, omni pristina fece carens, nullis casibus obnoxium, beatitudinis capax, mortis expers, dicente Apostolo, Nostra conuersatio in cælis est, vnde & saluatorem expectamus dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ. Nos hac tanta spe confirmati non solum mortem non timere, sed etiam nullum mortis genus debemus exhorrescere. Ideo dominus noster cum asperissimam tum ignominiosissimam elegit crucis mortem. Quem secuti sancti martyres omnes tyrannorum minas contempserunt, omnia vicere tormenta, magis timentes deum offendere, quam quæcunq; extrema perpeti. Quid quod etiam multi ante persecutionem, imo ante Christum, cum nondum paradisi ianua pateret, morti optarint? Ingemiscens Dauid ait, Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. & Elias, Sufficit mihi domine, tolle animã meam, & Iob. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex utero non statim perij? & Ionas. Domine tolle quæso animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. Quod si hi quibus adhuc clausus erat aditus regni cælestis, hinc decedere optarunt, nos timebimus quibus per Christum a maledicto iam liberatis patet paradisi? quosq; corpore isto exutos protinus excipit cælestis claritatis habitaculum sempiternum? Ob hoc ergo probatæ vitæ homines mori non formidant, quia p̄ciosã in conspectu domini mors sanctorum eius. Ob hoc autem impij & iniqui terreni, quia mors peccatorum pessima. Itaq; non dolore vehementi, neque immodico fletu prosequi debemus eorum funera, qui fide virtuteq; satis præditi vixerunt.

D

Phil. 3

Psal. 119

3. Reg. 19

Iob. 3

Jonas. 4

Psal. 115.

Psal. 33

- Apoc. 14 Beati enim sunt mortui qui in domino moriuntur, a modo dicit spiritus, vt requiescāt a laboribus suis. Vnde non immerito felicem talium obitum scriptura sæpenumero dormitionem appellat, vt quiete eos & vtra simul frui significet. Puellam suscitaturus dñs Non est mortua (inquit) sed dormit, Et de Lazaro, Lazarus amicus noster dormit, sed vado vt a somno excitem cum. Paulus quoq; cum de mortuis loqueretur:
- Luc. 8 Fratres inquit, nolovos ignorare de dormientibus. Et in psalmo habetur: Cum dederit dilectis suis somnum. Honestiore igitur q̄ mortis vocabulo mors notata est iustorum, qui in domino viuunt. Vnde Christus iudex nuncupatus est viuorum & mortuorum. Plura quippe mortis genera sunt. Est proprie mors corpis recedente anima quæ viuificat illud: est p̄ metaphoram mors animæ cum, ppter peccatum a deo deseritur: est mors reorum p̄na in inferno, hæc in Apocalypsi secunda mors appellatur. Quamuis enim anima etiã peccatrix immortalis sit, mortua tamen est, tum quando in corpore non deo viuit sed peccato, tum quando in inferno p̄nas luit æternas. Nam cum mors primorum hominum in p̄nam peccati data sit, ipsa p̄na quæ pro peccatis inferitur, mortis interdum nomine designat. Atq; ideo sane nec ipsam corporis mortem bonam esse dicimus, quia stipendium peccati est, quia non sine dolore est, sed tamen vt malis perniciosam, ita bonis vtilem. Alteri enim moriuntur vt in æternum viuant, alteri vt in æternum crucientur: fugienda ista, expetenda illa, etiam cum tormentis & supplicijs pro tempore tolerandis. Si enim tolerabimus & cõregnabimus. Magis excoctum aurum purius nitet, & terra per se ferax, si aratro aut ligone versata fuerit, fructus huberiores reddet. Mortis tempore non est iustitiæ nostræ operibusq; confidendum, sed in misericordia dei sperandum cum sanctus Apostolus dicat: Non ex operibus quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suã saluos nos fecit. Animam igitur a corpore decedentem soli illi qui saluare potest, commendemus. Qui vt hoc
- Iohan. 11
 1. Theff. 4
 Psal. 125
 Ad Tit. 3

nobis insinuarer, iam morti propinquus, iam spiritum traditurus. Pater (inquit) in manus tuas cōmendo spiritum meum, & hæc dicens expirauit. Et nos ergo cōmendando animam deo, misericordiamq; eius implorando, ac precibus insistendo vitam istam finiamus, & tunc sequetur quod paulo ante diximus: Pretiosa in cōspectu domini mors sanctorum eius, & beati mortui q; in domino moriuntur. Cæterum sicut non timere mortem ad seruos dei pertinet, ita e contrario eam formidare, ad seruos mundi. Quod vt clarius constet, de vana præsentis vitæ cupiditate aliquid dicamus.

¶ De vitæ cupiditate Ca. XIX.

SI diu viuendi vel vota vel confidentiam hominū recte perpenderit, plurimos quidem, qui ita afficiuntur, vanitatis imprudentiæq; arguimus. Diu viuere sperabat diues ille in euangelio, qui frugū hubertate lætatus dilatate cogitabat horrea, cellariaq; ampliare, & his quæ vna æstas attulerat, per annos multos frui. Tantos autem cogitatus abscidit nunquā satis prouisa mors, atq; nocte illa qua ipse sibi longiora felicioraq; vitæ spatia promittebat, coactus est decedere, & cuncta quæ collegerat, alijs relinquere possidenda. Frustra igitur aliquid diuturnum fore sperat, quod statim potest deficere. Sed aliud est sperare dices aliud cupere, licet non idem sint, alterum tamen ab altero pendet, & ex desiderio spes, & spe oritur desiderium. Alioquin quid stultius esse potest, quam cupere aliquid quod te affecuturum non speras? Sed cupis diu viuere, simul & speras, veruntamen times ne te spes ista fallat, atq; ita inter spem metumq; dubius fluctuas. Et cum ita sit, quæro abs te, cum voti compos fueris, cum ad decrepitam vsq; ætatem perueneris, quamdiu vixisti? annos centum aut plures fortasse, si toto hoc tempore deo vixisti, præclare quidem tecum agitur: mox enim in æternum viuere incipies: at si tibi tantum, male profecto rebus tuis consulisti.

Voluptas quippe omnis quæ cum ætate præte-

Luc. 12

Iaco. 4

Psal. 89

Eccle. 46

Iob. 32

riſt pro nihilo eſt, peccata autem manent & perdurāt, quibus grauatus animus ad inferos ruit, ibi pro breui-
 bus delitijs pœnas luiturus ſempiternas. Quid quod
 omnium hominum breuiſſima vita eſt ſuper terram?
 atq; (vt Iacobus apoſtolus ait) vapor ad modicum pa-
 rens. Quæ res cum neminē lateat, quid quaſo tanto pe-
 cupimus, quod velimus nolimus, cito pertranſiturum
 non ignoramus? Diu vixit Adam, diu Maruſalem, a-
 lijꝫ nonnulli ex patribus. Diurnitas tamen iſta ſe-
 neſcente mundo defecit. Quis enī noſtra memoria cen-
 teſimum vitæ attigit annum? cum præſertim Pſalmi-
 ſta dicat, Dies annorum noſtrorum in iſtis ſeptuaginta
 anni, ſi autem in potentatibus octoginta anni, & am-
 plius eorum labor & dolor. Quære ſi quem inuenire
 potes octogenarium ſenem ſanum, neminem certe re-
 peries cui vel aures non obſurduerint, vel viſus nō he-
 berauerit, vel pedes non titubent, manus non tremāt,
 dorſum non curuetur, dentes ſi q; reliqui ſunt, nō flui-
 tent, & tota corporis deformata facies nō penitus alia
 ſit quam fuerat. Adde tuſſim, apoplexiam, paralyſim,
 ſtomachi cruditatem, ventris tormina, inguinum tu-
 morem, ſpirandi difficultatem, mingendi ſtranguri-
 am, aliaq; huiuſmodi multa, quæ annofitas ipſa ſecum
 apportat, nec corpus modo, verum etiam mentem in-
 feſtans. Videas enim pleroſq; delirare per ætatem, &
 qui paulo ante ſapientes habiti erant, iam ridiculos
 eſſe. Cuncq; tot mala vna ſeneſtus afferat, nonne ſatis
 apparet eum qui diu viuere appetit, non vitam appete-
 re, vt putat, ſed morbos? Si quibus autem contingat,
 quod rariffimum eſt, vt etiam in ſeneſta integris ſenſi-
 bus, vegetoq; corpore & mente illæſa ſint, hoc donum
 dei eſt, cæleſtisq; gratiæ fauor, non longæuæ ætatis,
 quæ cuncta corrumpere conſuevit, beneficium. Quod
 Eccleſiaſticus teſtatur, dicens: Dedit dominus ipſi Ca-
 leph fortitudinem, & vſq; in ſeneſtutem permansit illi
 virtus. In Iob etiam legimus: Sperabam q; ætas proli-
 xior loqueretur, & annorum multitudo doceret ſapi-
 entiam, ſed vt video ſpiritus eſt in hominibus, & inſpī

ratio omnipotentis dat intelligentiam. Denique in euan- Luc. 12
gelio dominus: Dabo vobis (inquit) os & sapientiam.
Hanc vero sapientiam & iuvenes expetere & senes de-
bent. Quam si adepti fuerint, dabunt certe operam non
vt diu, sed vt bene viuant, neque vt ætate, sed moribus
graues sint. Nam diu viuere hoc quoque male habet, quod
neesse sit, vt qui diu vixerit, mortes videat multorum,
lugeat liberorum orbitatem, ingemiscat coniugis, fratrum
cognatorumque funera, & frequenter exitu tristetur ami-
corum. Quin etiam vel sua vel aliorum adhuc viuentium
infortunia deploret, quandoquidem crebrius mala quam
bona contingere mortalibus solent. Quas ob resynam
tantum habemus (vt equidem reor) vitæ diuturnioris
concupiscendæ causam, vt videlicet quo plus vixeri-
mus, habuerimus pœnitudinis nostræ fructus collige-
re possimus, tantoque maius promereri apud deum præ-
mium, quanto prolixioris temporis laborem eidem ser-
uando sustinuerimus, dum & alijs prodesse optamus,
& pro nobismetipsis cupimus facere satis. Alioquin lon-
gam vitam desiderare, non dei, sed seculi amatorum est,
qui nullo presentium voluptatum haustu satiantur: quod
semper viuere vellent, vt semper peccare possent. Et ta-
men male cupita senectus in eo illis bene consulit si ve-
nerit, quod lasciuiendi vires obscænosque amputet affe-
ctus, & ad continentiam cogat vel inuitos. Cæterum
quoniam fidei integritati congruit, non solum quæ iussa
sunt obseruare, sed etiam quæ consulta perficere, op-
portune nunc occurrit, de perfectæ religionis profes-
sione facere sermonem.

De perfectione vitæ Cap. XX

Perfectioris vitæ conuiuium est, ad quod inuitat Mat. 22
nos dominus: multos quidem vocat, sed non omnes
qui vocati sunt veniunt: alium retinet corporis
voluptas, alium cumularum opum cupiditas impe-
dit. De quibus dicitur, Illi autem neglexerunt, & abie-
runt, alius in villam suam. alius vero ad negotiatio-
nem suam. His grauati venire omnino nequeunt. De-

ponendum est ergo onus, si altiora cupis ascendere, & de paucorum esse numero electorū. Tunc te vere a deo electum esse noueris, cum magno animo illa quæ multorum sunt, contemnere cœperis, & omnem prorsus affectum ad solum Christum conuerteris, solum imitari statueris. Ait enim, Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus, qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Ita tuos ama, vt deum non offendas, alioquin plus te illos diligere argueris, quorum causa peccare non timueris, quandoquidem etiam propria mors magis est eligenda, quā crimen committendum. Ideo subditur, Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Etenim quemadmodum ipse crucifigi voluit, vt nos redimeret, ita tu crucis mortem timere non debes, dum tuum confiteris redemptorem. Tunc autem vere viuere incipis, cum pro eius nomine occideris. Qui pdiderit animam suam (inquit) propter me, inueniet eam. Transit enim de morte ad vitam, de terreno habitaculo ad cæleste regnum, semper beatus futurus, qui mori innocēs maluit quā nocens viuere. Solent autem parentes cognatiq; qui mundana sapiunt, modis omnibus iter impedire ad perfectionem tendentium, conqueruntur se derelictos, omni se solatio destitutos. Qua in re cauendū est, ne nostra erga parentes pietas, impletas fiat in deum. Contemnendi quippe sunt, quoties a dei seruitio auertere nos moluntur, & quasi odio habendi, ne nos odio simus deo, si uocationes eius atq; inuitamēta crebro cordib. nostris infusa neglexerimus, cum præferim ipse dominus noster dicat, Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Denique ait, Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Non potest toto pietatis affectu inhærere Christo, cuius animus aliqua terrenarum rerum cura in diuersum distrahitur, in eo em̄ deficiat necesse est, in

Luc. 14

quo adhuc aliqua carnali cupiditate inclinatur, pro-
 pterea quidem vocati apostoli, quoniam aliter sequi
 Christum non poterant, & retia & patrem reliquerunt.
 Non poterant effici Christi discipuli, nisi per omnia ei
 se conformari studuissent, æmularenturque eius paup-
 tatem, humilitatem, castitatem, docendi studium, oēs
 iuuandi curam, omnia sustinendi patientiam. Si quis
 vult (inquit) post me venire, abneget semetipsum, &
 tollat crucem suam, & sequatur me. Abnegat semet
 ipsum, qui non iam carni paret, sed spiritui: non iam mū-
 do, sed mundi domino seruit, vt longe alius sit, quam
 qui hactenus fuerat. Tollit autem crucem suam, q̄ pro
 veritate asserenda nec supplicia deuitat, nec mortē hor-
 ret, atque ita Christum sequitur. Ille enim cum dominus
 esset, formam serui accepit: & qui in se impassibilis e-
 rat, in homine assumpto crucem passus est, ne id nos, p̄
 nomine eius subire timeremus, quod ille, p̄ amore no-
 stro perferre voluit. Ne autē paupertatē timeas. Quæ-
 rite, inquit, primum regnum dei, & hæc omnia, quæ vi-
 delicet vitæ necessaria sunt, adicientur vobis. Ne etiā
 mortem exhorrescas, ait: Qui credit in me, non morie-
 tur in æternum. Ne denique supplicis terrearis, Mun-
 dus (inquit) gaudebit, vos vero contristabimini, sed tri-
 stitia vestra conuertetur in gaudium. Tu interea si p̄-
 fectæ consummatæque religionis laboribus implicari
 durum putas, promissæ mercedis magnitudinem con-
 sidera. Ait enim: Vos qui secuti estis me, in regenerati-
 one cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ,
 sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duo-
 decim tribus Israel. Perfectis ergo suam communi-
 caturus est dignitatem, qui cum ipso communicare,
 non dubitarunt laborum angustiarumque patienti-
 am. Duodecim autem sunt qui iudicant, & totidem
 qui iudicantur: quia illi filij lucis sunt tanquam
 duodecim horæ diei: hi vero filij tenebrarum sub eo-
 dem nocturnarum horarum numero comprehensi.
 Quamuis enim non omnes damnandi sunt, minus ta-
 men illis clari, quos perfectionis opera cōmendant. Se-

Mat. 4

Lucæ. 16.

Mat. 23.

- quitur: Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxores, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit, hoc est, sublimiorẽ beatitudinis obtinebit gradum, vitaq; perenni perfruetur. Exquisitæ enim sanctitatis viri, licet vitæ æternitate alijs in paradiso sanctis pares erunt, beatitudinis tamen magnitudine atque gloria illis præstabit, dicẽ
1. Cor. 15. te Apostolo: Stella enim a stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum. Quanto quis plenius in se Christi similitudinem expresserit eum hic imitãdo, tanto illi proximior est futurus in cælesti regno. Hoc certe ipse pollicetur, dicens: Si quis mihi mini strat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit.
- Iohan. 12. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. Hæc talia si recte perpenderit, profecto iam nihil tibi aut factu difficile videbitur, aut toleratu durum. Iam tibi sedebit animo vendere vniuersa quæ habes, diuitias, voluptates, concupiscentias, & emere thesaurum illum præ omnibus mundi thesauris concupiscendum: nunc quidem in ænigmate absconditum, tunc autem manifestum futurum, cum videbimus illum sicuti est. Hoc idem enim est & pretiosa margarita, qua cõparata nihil erit ultra desiderandum, cum omnis plenitudo gratiæ in Christo sit; in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. In ipso enim inhabitat (vt Apostolus ait) omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Libenter igitur eliges esse cum Christo pauper, vt in deo diues sis; optabis cum illo emori mudo, vt viuas deo; terrena deniq; omnia sordere tibi incipient, cum in cordis tui hospitio suscepis Chm.
- Coloss. 2. Nihil illo est dulcius, nihil suauius. Iure suo dixit, cū ad sui seruitium fideles inuitaret, Iugum meum suauis est, & onus meum leue. Hoc diuinus psalmista sensit, dicens: Gustate & videte, quoniam suavis est dominus.
- Matt. 23. Psalm. 33. Hac certe dulcedine affecti erant apostoli, cum inter flagella gauderent, quoniam digni habiti sunt, p noie Iesu contumeliam pati. Et cum sæuissimi tyranni tor-

menta proponerent, necem minarentur, ne Iesum euāgelizarent, tacere omnino non poterant: tanto illis nomen domini sui iucundius fuit, quam vitæ præsentis vsus, aut doloris per supplicia infligendi euasio. Tales itaq; esse debent, qui volunt montem excelsum conscendere cum Petro, & operari fieri vineæ domini, & abiecta sæculi huius sarcina, per foramen acus transire, p calcatisq; mundi angustijs, ad beatam illam regni cælestis amplitudinem peruenire. Tu igitur qui relicta sindone nudus impiorum manus effugisti, ne reuertaris tollere tunicam tuam, nec aratrum tenens respicias retro, vt aliquando imprudenter concupiscere incipias, quod propter Christum prudēter reliquisti. Multo melius est, nō nouisse viam perfectionis, quam postquam noueris regredi velle, & cum Anania Sapphiraque spiritui sancto mentiri audere.

¶ De vita solitaria. Cap. XXI.

HVic excellentissimæ professioni accommodatissima solitudo est. Da igitur operam, vt i cœnobio cella, in deserto locus ab humano cultu vacuus, legendi, scribendi, orandi, & ea quæ æterna sunt contemplandi opportunitatem tibi præsent. Nulla horum libera meditatio habetur in frequentia cœtuum multorum. Vulgi clamor, vrhani tumultus, amicorum interpellatio, mulierum conspectus, cognatorum mortes, mentem deo intentam conturbant, nec in illo conquiescere ipsam pro voto sinunt. In solitudine autem concupiscentiæ quoq; magna pars tollitur, dum illa quæ malæ concupiscuntur, nostris aspectibus procul submota latent, cum multo magis visa moueant animum, quam cogitata: & quod rarius cernitur, facilius obliteretur, quantum præterea viro religioni dedito conferat ipsa solitudo, ex euangelio discitur. Principis filia vita defuncta, non antea a morte suscitatur, quam tibicines & tumultuantium turba excluderetur. Solitudo itaq; præcipue quærenda est, vt anima in peccatis mortua, per pœnitentiam ad gratiam

Matth. 6.

D 5

- Mar. 6. viuificantem reuocetur. Quoniam vt modo diximus,
 & pessimæ animi cupidines minus in secessu viriū ha-
 bent: & mens terrenarum rerum curis expedita, ad cō-
 templanda diuina magis attollitur, dicente ad discipu-
 los domino: Venite seorsum in desertum locum, & re-
 quiescite pusillum. Multa quidem vbiq; pugna, sed ta-
 men in deserto requies aliqua, quamuis pusilla. Certi-
 or autem ibi vincendi spes est, vbi post laborem ad vi-
 res refocillandas, nonnulla quietis conceditur mora.
 Quod nobis innuere volens dominus, in deserto tenta-
 tus, a diabolo collatis signis victoria potitur: fuso de-
 niq; fugatoq; hoste triumphans, angelorum vtitur mi-
 nisterio. Scriptum est enim. Tunc reliquit eum diabo-
 lus, & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Idem
 Matth. 4. eos qui in Iudæa sunt, vt ad montes fugiant, hortat.
 Luc. 21. Iudæa, confessio & glorificatio interpretatur: vt is qui
 Christum confitetur, & ad celsiorem beatitudinis gloriā
 aspirat, frequentiam fugiat, solitudineque delectetur.
 Quod si docendi officio fungitur, & vicos vrbesque
 Luc. 21. peragrarare necesse est, tantisper in publicum prodeat,
 donec populo salutis congrua per sermonem insinuet.
 Erat enim Iesus, vt Lucas ait, diebus docens in templo
 noctibus vero exiens morabatur in monte, qui voca-
 tur Oliueti: vt nobis ostenderet & tempus & locū ora-
 tionis contemplationiq; aptum. Commodissime enim
 tunc oratur, cum cuncta silent. Inter orandum autem
 in montem ascendere iuberis, vt sicut montium fasti-
 Marc. 6. gia cælo proximant, ita tu ad cælestia contemplanda
 animo subleueris. Hoc ipm Marcus quoq; testatus est,
 dicens: Et cum dimisisset eos, quos videlicet docuerat,
 abiit in montem orare. Dominus ergo noster, quod v-
 bis docuit, hoc exemplo monstrauit, in ipso orationis
 Luc. 5. tempore secedendum esse a turba, & in loco secretiore
 orandū. Vnde iteꝛ Lucas. Ipse autem secedebat, inqt,
 in desertum, & orabat. Desertum istud mons oliueti
 erat, mons autem contemplationis altitudinē designat.
 Sed ad hanc altitudinē ascendere nequimus, nisi hoīm fre-
 Luc. 19. quentiam fugerimus, Zachæus præ turba non poterat

videre Iesum. Difficile est enim in medio plebis versari, & mentem in deo fixam firmamque habere. Ascendit ergo arborem sycomorū vt videret Iesum, altiusque se se cæteris erexit, non superbia, sed cogitatione, extra turbam quærens, quod in turba inuenire non poterat. Iohannes quoque Baptista in matris aluo sanctificatus, vt sanctior fieret, desertum incoluit, ibi manens Christum baptizare meruit, & de illo prophetare, & ab illo testimonium accipere, dicente. Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne baptista, atque hunc eundem, quem homines vt prophetam honorabant, ipse plus quam prophetam esse asseruit. Postremo ipse dominus Petro, Iacobo, Iohanni diuinitatis suæ claritatem ostensurus non solum in montem, sed in montem excelsum duxit se eos dicitur, tanta visione non poterant esse digni, nisi a turba secederent, & humana transgressi, sublimitate contemplationis cælestibus insererentur. Ex his que dicta sunt, discere possumus, vt ille perquam raro conuerteretur cum hominibus, qui sæpe cum deo esse desiderat. Nunc his qui sacerdotalibus initiari sacramentis volunt, ostendemus quibus rebus & bonus constet sacerdos, & malus efficiatur, vt discant quæ sibi expectanda, quæque fugienda sint, vt bonorum potius gloriam consequantur, quam in sortem concedant malorum.

¶ De bono sacerdote.

Cap. XXII.

Tanta ac talis dignitas sacerdotalis est, vt nulla maior homini conferri possit. Et quoniam angelicæ sublimitati exæquat, sacerdos ipse aliquando in scripturis angelus est appellatus. Vt illud Malachiæ, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirēt ex ore eius, quia angelus est dñi exercituum. Iohānes etiam in Apocalypsi, septem angelis, septem in Asia ecclesiarum episcopis scribere iubetur, hoc est, Ephesi, Smyrnæ, Pergami, Thyatyræ, Sardis, Philadelphię, & Laodiciæ. In his singulis singuli episcopi erant, & officij sacerdotalis merito angeli nominantur. Hoc tamen mal-

Luca. 7

Mar. 9.

Malach.

Apo. 2.

- nus mirabimur, si meminerimus ipsum dei filium Iesum Christum sacerdotem factum, deo patre ad eum dicente: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Nihil isto sacerdote maius, nihil mirabilius excogitari potest: ita nec sacerdotij honore quicquam præstantius haberi. Cæterum iuxta domini sententiam, Cui multum datum est, multum petent ab eo.
- Luc. 12.** Omnibus ergo virtutibus excultum atq; exornatum oportet esse sacerdotem. Ut igitur vere sacerdos sit, necessaria est illi sobrietas, castitas, fides, charitas, iustitia, prudentia, scientia, terrenarumq; rerum contemptus, & cælestium desiderium atq; amor. Ut sit sobrius dominum audiat in Ezechiele præcipientem: Vinum non biber omnis sacerdos, quando ingressus est atrium interius, quod ante in Leuitico ad Aaron ita dictum est, Vinum & omne quod inebriari potest, non bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini. Nec aliter novus pontifex noster Christus monuisse suos discipulos videtur, cum diceret, Attendite ne forte grauentur corda vestra in ebrietate & crapula, & in curis huius seculi. Castum quoq; oportere esse sacerdotem, & carnalis copulæ abstinentem idem dominus docuit, apostolis imperans ut præcingant lumbos suos, & lucernas ardentes in manibus habeant. Lucernæ in manibus opera iustitiæ sunt, quorum fundamentum castitatem esse voluit, dum liberos prius, in quibus generandi vis est, restringi iubet baltheo castitatis. Veteri vero lege ideo concessum sacerdotibus fuit matrimonium, quia sola tribus Leui & domus Aaron sacerdotalis erat, nec alijs licebat hoc fungi officio. Ne igitur Leuitarum genus in paucis conclusum deficeret, reparandum per connubia erat. At nunc non carnis quæritur successio sed spiritus, translatoque sacerdotio ad tribum Iuda, id est ad Christum, quicumq; Christianus est, nisi uxori alligatus fuerit, potest eligi in sacerdotem. Omnes tamen qui Christo in sacerdotio succedunt, castos esse decet, sicut & ipse castus fuit, ut novi sacerdotij tanto purior successio sit q̄.
- Ezech. 44.**
- Leuitic. 10.**
- Luc. 12.**
- Lucæ. 12.**

veteris, quanto & sacerdos noster Christus omnibus qui ante illum hoc munere vsi sunt, noscitur esse præstantior. Neque enim arietum vt olim, aut vitulorum sanguine nunc sacrificatur, sed ipse Christus verus deus & verus homo, viuus & immortalis, licet aliena specie velatus, offertur. Quod si etiam priscis dictum sit, Mundamini qui fertis vasa domini, quanto magis nostris conuenit omnis mundities, quibus non solum ferre vasa domini, sed etiam ipsum dominum quotidie & contrectare manibus & ore sumere mos est? Tam igitur mente quam corpore mundus castusque sit, qui ad eiusmodi ministerium se nouerit esse electum. In primis tamen fidelem esse conuenit. Quid enim castitas aut aliqua alia virtus ei prodesse poterit, si qua orthodoxæ fidei pars in illo labascere cæperit? Fide igitur opus est, vt reliqua recte prospereque succedant. Quis est (inquit) fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Familiæ dei sacerdotes præpositi sunt, vt verbis exemplique cibo eam pascant, qui si fideles ac prudentes fuerint, beatitudinis quoque magnitudine cæteris præferentur. Sequitur enim, Quem sic agentem inuenit dominus, super omnia bona sua constituet eum, vt quod multos fideliter docuit, prudenterque rexit, multis iter sanctos honorabilior magnificentiorque habeat. Charitatem etiam præcipue amplecti debet sacerdos, vt cui vni commissa cura animarum est, pro earum salute, si ita casus inciderit, nec supplicia recuset, nec mortem metuat. Bonus enim pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Idem præterea iustitiam omnem, quæ alios docet, prior impleat, ne quod verbis ædificat, si aliter ac præcipit, vixerit, exemplo destruat atque dissipet. Nisi abundauerit iustitia vestra (inquit dominus) plus quam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Prudentia quoque opus est sacerdoti, ad noxia quæque cauenda dolosque diaboli declinandos. Insihijs facile patebit, nisi perquam caute iecerit, Estote prudentes (ait saluator) sicut serpentes;

Isa. 52.

Matth. 24.

Iohan. 10.

Matth. 5.

Callidissimus omnium serpens diabolus est. Qui ergo non minus prudens erit ad cauendum, q̄ diabolus astutus ad nocendum, neq̄ blanditijs eius capiet. neq̄ vim formidabit. Vt aut̄ cautus & circumspectus fiat sacerdos, necessariam sibi esse scripturarū scientiam nouerit intelligentiāq̄ mysterioꝝ, sine qua neq̄ se ab aduersario tueri cōmode poterit, neque alios vitæ doctrinis recte instituere, aut ad v̄tutem apte exhortari. In Aggæo scriptum est, Interroga sacerdotes legem, & in Ezechie de sacerdotibus loquens dñs, Populum meum docebunt, inq̄t, qd sit inter sanctum & pollutum, inter mundum & immundum oñdent eis, & cum fuerit controuersia, stabunt in iudicijs meis & iudicabunt. Exigitur ergo a sacerdote vt eruditus in lege sit, & qcqd in sacris l̄ris continet, p̄ viribus ediscat, alioqn sacerdotio indignus existimabitur dicente dño per Osee, p̄phetam. Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Postremo loco diximus, p̄sentiu cōtemptorem esse sacerdotem. Nam si Christi minister fuerit, paruo erit contentus, dum summa sperat, & vt dñm suum imitetur, paupertate gaudebit, diuitijs cōtemnet. Neque enim pōt esse talis magistrī discipulus, nisi renunciet omnibus q̄ possidet, vt caduca respuens dignus euadat, cui tribuantur æterna. Sed ne in veteri qdem lege Leuitis data est possessio in tribubus vt scient non in terra, sed in cælo sibi possessionem esse q̄rendā dicente dño ad Aaron, In terra eorū nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars & hereditas tua in medio filioꝝ Israel. Decimis igitur & eleemosynis, q̄ altari offeruntur, viuat q̄ seruit altari. Quod aut̄ necessario victui superest, indigentibus tribuat, dispensatoremque se esse agnoscat bonoꝝ ecclesie nō possessorem. Apostolis & eorum successoribus p̄ceptū esse meminerit. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniā in zonis vestris. Quid tibi cum diuitijs, si illius domini seruus es, qui non habuit in terra vbi caput reclinaret suum, neque didrachmam qua pro se & discipulo solueret portorium? dñi

Aggæi .2
Ezech. 44.

Osee .4.

Num. 18.

Matth. 10

Inquam in stabulo geniti, in præsepio positi, in cruce
nudi, in sepulchro conditi alieno, nihil denique in hoc
seculo quasi suum possidentis, non quia non liceret ei
frui omnibus si veller, cum esset dominus omnium, sed
vt doceret non esse ei opus terrenis diuitiis, qui ad cæ-
lestes thesauros aspiraret, difficileque esse duobus do-
minis seruire, deo & mammonæ, difficillimum vero
vt quis auri argentique pondere grauatus, ad æthe-
rea regna possit conscendere. Ex his igitur quæ dicta
sunt, eum sacerdotij honore dignum censebimus, q̄ so-
brie, pudice, fideliter, pie, iusteque vixerit, q̄ in cauendo
prudens, in erudiendo doctus, in concupiscendo
modicus, & in obsequendo ei cui se dedicauit, fuerit af-
fiduus. Quisquis autem sese talem in sacerdotio exhibe-
uerit, hic vere erit sal terræ, cuius doctrinis cætero-
rum corda ne in peccatis putrescant, condientur, erit
lux mundi, ciuitas supra montem posita, lucerna super
candelabrum lucens, vt omnibus conspicuus omnes q̄
sancte innocenterque volent viuere, suo illuminet ex-
emplo, suæ famæ gloria concitet ad virtutem. Hic de-
mum de terris ad cælum translatus illorum perpetuo
fructur consortio, illorum perennis beatitatis erit par-
ticeps, quibus in psalmo spiritus sanctus loquitur, dicens.
Sacerdotes eius induam salutari, & sancti eius exulta-
tione exultabunt. Christum enim induent, eique felici-
ter adhærebunt qui in ecclesia vices Christi, sicut oportuit, gerere studuerunt.

Mat. 5.

Psalm. 137.

¶ De malo sacerdote.

Cap. XXIII.

Porro sicut lux tenebris collata luculentior vide-
ri consuevit, ita appetibilior fit virtus, quoties
contrarij vitij malignitas monstratur. Cum igitur
de bono sacerdote satis dictum sit, operæpretium
est, quemadmodum proposuimus, vt aliquid etiam de
malo dicamus. Malus est sacerdos, qui non potest dice-
re cū propheta, Portio mea dñs, cū terrenis opibus in-
hiet, & non solū his q̄ possidet non renuntiet, sed etiam

Psalm. 118

- ea quæ nondum adeptus est, cupide affectet. Sunt quos negotiari in domo dei non pudet, imo nec fœnerari, ecclesiasticasque dignitates ambitione atque largitionibus comparare, quas cum acquirerint, cuncta ecclesiæ bona, quæ pauperibus distribuenda erant, in suos vsus conuertunt. Hi sunt quos vendentes & ementes de templo suo eicit dominus, dicens, Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Merito igitur talium cathedras euertit, & cum principibus populi sui in cælestibus considerare prohibet, utpote quibus non cælestis boni adipiscendi, sed terreni abutendi cura semper ac studium fuit. Nihil pensi habuerunt prodesse commissæ sibi plebi, delinquentes corripere, bonos fouere, afflictos consolari, dubijs consulere, sed ignauitæ atque otio deditis magis ventrem suum quam gregem dominicum pascere solliciti fuere. Malus item est sacerdos, qui vidit lupum venientem, i. hæreticum, aliquem puerfa doctrina fideli gregi insidiantem & illius dolo alios rapi, alios dispergi, alios mactari, nec tamen ita obuiam perfidiæ, sed auersus fugit, ita ut fugiendo ostendat se pastoris nomine indignum. Vnde dicitur, Mercenarius fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Non quia non pertinet ad eum, sed quia sic agat, tanquam si nihil omnino ad eum pertineat, quandoquidem non animarum lucrum, sed pecuniæ quæreret, terrenamque mercedem cælestibus præferat diuitijs. Talium auaritiam p Malachiam prophetam redarguit dominus, dicens. Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? Et quoniam qui eiusmodi vitio laborant, a deo reprobati sunt, sequitur, Non est mihi voluntas in vobis dicit dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Per Ezechielem vero etiam cominatur dum ait, Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, nonne greges, a pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægroium
- Matth. 21.**
- Iohan. 10.**
- Malach. 1.**
- Ezechi. 4.**

non sanastis, quod contractum est non alligastis, & quod abiectum est non reduxistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia, & dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor. Quo pacto enim est pastor qui nec religiosæ vitæ exemplis, nec sanæ doctrinæ monitis gregem sibi creditum alere curat? Quo autem magis delictis luxuriæque indulget, eo grauius in inferno supplicium teret per Amos prophetam dicente **Amos. 6.**

Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum ingredientiæ pompaticæ domum Israel. Quicquid de pastoribus dicitur, & de presbyteris dictum intelligas. Cui enim sacramenta vitæ quis ministrat, eius & pastor esse debet, quantum officio suo conuenit, monendo, corripiendo, & quicquid commodis eius cui præficiatur, salutisq; opportunum putabit, exequendo. Episcopi tamen proprium est & peculiare, publicos edere ad populum sermones, vitia reprehendere, ad capeffendas exhortari virtutes, transgressores legis apostolica autoritate castigare, ad poenitentiam cõuersos rectpere. Quibus in rebus si defecerit, vel per ignorantiam si nesciat, vel per negligentiam si nolit, vel pusillanimitatem si metuat, de fidelium cõitu excludet, & canibus mutis per contumeliam comparabitur. Cur enim episcopus est, si docere nescit? aut cur scit si non vult? aut quid velle prodest, si non audet quod debet implere? Sed neque presbyter assumat curam animarum, si modo se ad eam rem ineptum nouerit. Male subitur onus, quod imbecillæ vires terre nequeunt. In eos ergo, qui doctoris ecclesiastici sibi munus vendicant, & nequaquam docent, siue ignoracione confusi, siue negligentia corrupti, per Isaiam exclamat dominus & **Isai. 6.**

ait: Speculatores eius cæci omnes nescierunt vniuersi, canes muti non valentes latrare. Et iterum: Ipsi pastores, inquit, ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisque ad avaritiam suam a summo vsque ad nouissimum. Perdidos autem plebis mores vulgicque licetiam illoꝝ que præsumunt incuriæ ascri **Ezech. 3.**

bi, in Ezechiele vel verbis domini discimus: Si dicente me inquit, ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei neq; locutus fueris, vt auertatur a via sua impia & uiuat, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Impius ergo peribit quia peccauit. Sacerdos qui eius tuendæ salutis p̄positus est q̄a tacuit, q̄a peccantem non increpuit, q̄a errantem in viam reducere non curauit. At q̄o tanti periculi non ignarus Apostolus Timotheum discipulum obnixè, solícite, vrgenter adiurat, dicens: Testificor coram deo & Iesu Christo, qui iudex est viuorum & mortuorum, per aduentum ipsius & regnum eius, prædica verbum, in sta, opportune, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Et paulo post: Tu vero vigila, inquit, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Porro illi quorum ignauia populus corruptus extra iustitiæ limites aberrat, & per abrupta delabitur vitiorum, quam damnabiles existant Ieremias testatur, dicens, Væ pastoribus qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ dicit dominus. Quæ nã vel dispersio perniciosior, vel crudelior dilaceratio, q̄ eos qui tibi commissi sunt, pereuntes videre & negligere? a diabolo supari, & succurrere nolle? imo etiam tergiuersari & fugere? dum vereris ne quis tuis increpationibus offensus tibi aduersetur, tibi detrahat, tibi aliquo detrimento sit. Sed meminisse debes, quemadmodum dominus miserit apostolos inter gentes sicut agnos inter lupos, & illi profecti cum fiducia euangelizabant dei verbum, nec supplicia nec mortem expauescentes, dum obsequium præstarēt deo. Nihil ita metuere debemus, vt dei iudicium. Temporale est q̄d ab hominibus times: q̄d aut̄ a deo maxime timere debes, æternū est. Perdere corp⁹ tm̄modo p̄nt homines, deus v̄o & corp⁹ & animam mittere in gehennam p̄t. Hoc q̄q; mali habet negligentia sacerdotis, q̄ dū cōtemnit, contemnit: dū timet, a nemine timef. Sal q̄ppe infatua tū ad nihilū valet ultra, nisi vt p̄nciatur foras, & con-

2. Tim. 4.

Jerem. 23.

culcetur ab hominibus. Leue tñ & minimum qddā est, mortalium pati iniuriam, nisi etiā dei iudicio dānarentur. Sed in psalmis de iniquo sacerdote dicitur: Cum iudicatur, exeat cōdemnatus, & oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter, & alia multa, quæ licet ad ludam domini sui proditorem referantur, nihilominus ad sui quoq; similes redundant. Sui autem similes sunt, qui ad apostolatū electi, potentioribus ita blandiuntur, vt eos scelera dissimulent, & sic dñm osculo pdant. Eundem etiam vendunt, dum nihil ita cupide vt lucra sectantur, sed cum hi tam immani ingentiq; supplicio destinati sint, illi q vt debent, officio suo fungunt, dici non pōt, q̄ grandi mercede remunerabuntur. De his nempe Apostolus ad Timotheum scribens, ait: Qui bñ præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime q laborant in vbo & doctrina. Duplici honore dignus est, cui & reuerentia exhiberi debet, & victus necessarius suppeditari, cum scriptum sit, Non alligabis os bouis triturantis. & Dignus est operarius mercede sua. Tunc tñ melius duplici honore digni erunt, cum animæ simul & corporis beatitudine perfruentur & aliquot felicitatis gradus cæteris eminentiores apparebunt. Satis hæc de sacerdote, nunc de sanctarum lectionum studio, fidei animæ admodum necessario tractabimus. Nihil enim recte discitur, quod de ipso veritatis fonte non hauritur.

¶ De studio lectionis. Cap. XXIII.

Igit ad scripturæ diuinæ studiū oēs q̄ p̄fectiōis iter ingredi cupiunt, cōuocamus cum Iohanne in Apocalypsi: Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vīræ gratis. Beati sunt qui sitiunt & esuriunt iustitiā, sed nisi scripturæ lectioni operam impendant, iustitiæ præceptis nequaquam saturari poterunt. Sicut autem sitientibus dulcis est potus, ita discere cupientibus diuina sapit lectio. Illi duntaxat ad cælestem cibum nauſeant, & manna fastidiunt, qui Aegyptiorum iuru-

1. Timo. 6

Scribit mo
re antiq̄rū

Iohan. 17.

lentis repleti. i. inani gentiliū poctarum eloquio de
 liniti, magis fabularum fictione quam veritatis doctri
 na delectantur. Hi sunt qui (vt Apostolus inquit) elege
 runt sibi magistros prurientes auribus, & ad fabulas
 conuersi, auditum a veritate auertunt. Nos contempta
 istorum stultitia, in quibus nulla solida sapientia est,
 illis tantummodo lectionibus incumbamus, quæ no
 bis iter, quo ad immortalitatem peruenitur, ostendūt.
 Alioquin aquam istam vitæ, ad quā nos Iohannes apo
 stolus inuitat, haurire non poterimus. Veteris igit no
 uique instrumenti literas assidue perscrutemur. In his
 plenissime discitur, quid facere, quid vitare, quid cre
 dere, quid amare, qd sperare nos oporteat, vt caelo di
 gni simus cum terram reliquerimus. In his deum patrē
 a quo omnia: in his filium, per quem omnia: in his spi
 ritum sanctum, in quo omnia facta sunt, inuentes: &
 hæc tria vnum deum, vnam hypostasim esse meli⁹ cre
 dendo intelliges, quam intelligendo credes. Magnum
 quippe mysterium est sancta trinitas, humanæ sapien
 tiæ altitudinem excedit, fide percipitur, sine qua ad bea
 torum æternitatem nemo transfertur. Audiamus autē
 in euangelio dominum Iesum patri suo loquentem ac
 dicentem: Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum
 deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Vt igit
 tur fide ac virtutibus proficere possimus, abeamus cū
 Iesu per scripturarum sata, vellicantes veteris nouæq̄
 legis spicas: & vt triticum sub paleis latens comedere
 valeamus, confricemus eas manibus intelligentiæ spi
 ritualis, promentes in lucem, quicquid sub figurarum
 ambage condi credimus, nihil erit menti deo dicatē iu
 cundius, quam nosse sensum domini, & verba aliud q̄
 sonant significantia intelligere. Et quoniam hanc spi
 carum confricationem sabbato ab apostolis factam le
 gitimus, hoc admonet nos, ea quæ mystica sunt, commo
 de perpendi considerarique non posse, nisi cum secula
 ribus curis liberi & expediti, subbatum. i. quietem agā
 mus. Terrenarum enim rerum sollicitudo legentē im
 plicat, & ipsa in diuersum mentem distrahens cogita

tio, quæ leguntur, quæque audiuntur, non satis intelligere permittit. Intentione animi opus est, ut lecta percipias, & percepta ediscas, teneasque memoriter. Postquam autem mysticos sensus literæ tegumento velatos deprehenderit, & eos vel ad ecclesiæ nouitatē, vel ad animæ utilitatem transfuleris, adhuc altius tibi erit insurgendum, ut etiam cælestia perscruteris, & de visibilibus gradum ad inuisibilia facias. In montem excelsum ascendentibus discipulis apparuit dominus Iesus: non qua solebat specte, sed longe elegantiori. Resplenduit enim factes eius ut sol, vestimenta eius alba facta sunt ut nix. Hunc montem ipse si mente conscenderis, videbis primum cum Christo loquentes Moysen & Eliam, atque intelliges legis ceremonias oraculaque prophetarum in Christo esse completa, ingentemque capies voluptatem, cum talia cognoscere cœperis. Vnde etiam Petrus tam valde huiusmodi visione cœpit delectari, ut ibi figere tabernacula cuperet, cælestium oblitus. Sed neque ipse de his humilioribus oblectamentis egredi poteris, ut in sublime raptus nudam contempleris diuinitatem, nisi & te sicut apostolos lucida spiritus sancti nubes obumbrauerit, dei patris vox roborauerit, & filij eius gratia illuminauerit. Totius autem trinitatis fauore supra humanæ naturæ conditionem erectus, nec Moysen amplius, nec Eliam cōspicies, sed Iesum solum. Cessant enim & figurarum umbræ, & futura prædicentium vox, cum veritatis lux oritur, & quæ ventura erant eueniunt. Non est ergo nostrarum virium, sed opis diuinæ, ut quis legendo mysteria intelligat: quanto minus ut etiam supercælestis contemplationis dulcedine mens in deum eleuata perfundatur. Hoc tamen illis frequentius conceditur, qui libros diuinos ita legunt, ut a sanctorum interpretatione non discedant: a peruersis sensibus, qui cum ecclesia non concordant, penitus abhorrentes. Quære igitur in sancta lectione bonas margaritas, ut scias quid lex præcipiat, quid nuntient prophetæ. Sed inuenta deinde pretiosa margarita, quæ est euangelium Christi, omnibus

Matth. 17

alijs præferendum scripturis, eam amplectere, eam ex-
 osculare, eam pro viatico habe cum ambulas, pro cibo
 cū recūbis, pro puluillo cū dormis, pro speculo cum vi-
 gilas: nunq̄ euangelicus codex vel de manibus tuis di-
 scedat, vel de memoria exeat. In eo si assiduus fueris,
 cælestium desiderio terrena contemnes: & hoc q̄dem e-
 rit, vendere oīa q̄ in p̄senti vita possidentur, & ip̄am e-
 mēre margaritam, q̄ Ch̄si conversatione fulget, & hu-
 manæ redemptionis p̄tio taxatur. Quicqd̄ autem no-
 uum continet instrumentum, ad euangelium p̄tinere
 censemus. Itaq̄ cum euangelio & Pauli epistolæ & ali-
 orum apostolorū, & Lucæ Actus, & Iohan. Apocal. &
 eruditorū hominum approbati de religione tractatus,
 frequenter in manibus habendi legendiq̄ tibi erunt, vt
 fide stabiliaris, vt virtutibus præstes, & in Christo do-
 mini meditatione perseverans, in deo tandem conqui-
 escas. Nihil ita innocentiam conseruat, & cordis puri-
 tatem custodit, vt scripturarum, quas diuini homines
 sancto dictante sp̄ritu ediderunt, quotidiana lectio.
 Non est vt imperitiam excuses. Lege multa: & si solido
 cibo nondum vesci potes, lactis poculum ne spernas.
 Deniq̄ sume quod potes, fragmenta vero quæ super-
 sunt, in doctiorum cophinos colligenda dimitte. Ho-
 mines & iumenta pascit dominus, doctos & indoctos
 admittit, neminem repellit. In monte apostolos docu-
 it: de monte vero descendens, prædicauit plebi. Habes
 in euangelio & vias planas, per quas incedere cum sim-
 plicibus iuuat. Habes et montes excelsos, quorum alti-
 tudinem si adire nequueris, mirari proderit. Medica-
 menta quibus rebus composita sunt, licet ignoret æ-
 grotus, profunt tamen ei, eleuantque languorem. Ita
 diuina verba si legantur, etiam non intellecta vim ha-
 bent ad animæ sanitatem conferendam. Te nunc appel-
 lo, qui diu multumque in gentilium libris versatus es,
 dum te comptus delectat sermo, & musici poetarum
 cantus delinunt, quantum inde tibi emolumentum con-
 traxeris parumper cogita, & cum nihil ista tibi ad sa-
 lutem profuisse cognoueris, ad Iesum tandem quæ-

so conuersus, dic cum Petro: Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc (inquit euangelista) fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam. Quod si demum in scripturæ sacræ pelago piscari te delectabit, tu quoque implebis pectoris tui nauiculam saluberrimorum præceptorum copia, quibus & ipse viuere, & alios docendo poteris sustentare. Tanta est enim diuinorum virtus verborum, ut fideliter & incorrupte & contente legentibus intellectum illuminet, animum exhilaret, atque illa quæ præcipiuntur, perficendi facultatem suppeditet. Quod si tacta fimbria vestimenti domini, virtus de illo exibat & sanabat omnes, quomodo sermo eius ex intimis effusus præcordiis, dum legitur, dum auditur, animi male affecti morbos non curabit, & a periculis perditionis non cruet? Ergo quoties aliquo seculi huius turbine agitaris, quoties carnis pugnam spiritus patitur, & pedibus laquet dæmonum inuidia tenduntur, ad euangelicas lectiones te conuerte, dormientemque in puppi saluatorem strepentes inter legendum vel orandum oculis excita, statim illo imperante, omnis tentationum æstus concidet, & concupita redibit tranquillitas. Tunc etenim diuina lectio docebit in aduersis patientiam, in prosperis modestiam, in deum pietatem, in proximos charitatem: præstabitque in dubiis consilium, in periculis opem, in tentationum certamine victoriam. Quis hoc tibi Tullius, quis Demosthenes, quis Socrates, quis Aristoteles, aut si ad poetas respicis, quis Homerus vel Vergilius conferre poterit? Quandoquidem nec sibiipsis quicquam prodesse potuerunt, veritatis nobis diuinitus reuelatæ penitus ignari. Porro cum experiri cœperis voluptatem atque fructum, quem tibi lectio suggeret diuina, protinus cum psalmista concines, Eloquia domini terra, purgatū septuplū, & q̄ dulcia faucibus meis eloquia tua dñe sup mel & fauū ori meo. Dulcia sane in cortice eloquia dñi, sed multo dulciora in medulla. Sacros codi

Luca. 5.

Psal. 117.

Psal. 118.

Ces pie indubitanterq; legenti adfuit Christus, applaudunt angeli, congratulantur sancti, & caelestium verborum sono maligni exterrentur spiritus ac fugiunt: denique nihil ita aut virtutes animi conseruat, aut vitia repellit, vt frequens diuinas literas legendi vel audiendi cura. Quo autem rarius his vacabis, eo citi⁹ cades, exurgesque difficilius.

De auditionis cura. Cap. XXV.

Avdire quoque quæ in ecclesia leguntur, vel eos qui absque lectione in pulpitis declamant, auscultare plurimum expedit. Plus etiam eruditi hominis ore prolata verba mouere solent, quam si eadem ipse conscripta legeris. Nuda in libris verba iacent, quæ si ab oratore aliquo apte diserteque recitentur. ipse gestus, ipse aspectus, ipsaque pronuntiatum orationi addet ornamentum efficacique ad suadendum atque dissuadendum. Delectet te igitur cum legere quæ sancta sunt, tum quoties ab alio leguntur vel prædicantur, audire. Discipulum docilem te esse volo. Is enim docilis est, qui docentem attente audit. Ad huiusmodi studium te hortatur Ecclesiasticus, dicens: Esto mansuetus ad audiendum verbum dei, vt intelligas & cum sapientia proferes responsum verum. Quasi dicat, disce prius, & postea docebis. Et iterum, Si (inquit) dilexeris audire, sapiens eris. Idem nobis præcipit Iacobus apostolus, cum ait. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Temerarius enim magister est, qui nondum ipse discipuli partes impleuit, & iam alios instruere præsumit. Vt autem tacite contenteque auscultes, & non alio aures, alio mentem diuidas, in mansuetudine (inquit) suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vras. Insuper enim verbum non potest, nisi in molli corde & rotis viribus ad audiendum intento. Verbum inquit, quod potest saluare animas vestras. Frustra quippe verbis illis prebemus auditum, quorum suauiloquentia aures tantum demulcentur, & nulla cõparatur animo vtilitas. Recte

Ecclesiã. 5.

Iaco. 1.

itaque his duntaxat intendendum præcipit, quæ ad consequendam æternam salutem nos erudiunt. Sed nec audire profecto multum prodest, nisi audita memoriter retineantur: nec memoriter retinere, nisi quod memoriam mandatum est, opere compleatur. Audis castitatis, patientiæ, mansuetudinis, charitatis præcepta: ne sinas illa per incuriam effluere, sed corde cõplexus foue, vt cum psalmista dicere possis: In corde meo abscondi eloquia tua domine, vt non peccem tibi. Memen-
to præterea de ipsa dei genitrice scriptum esse in euangelio; Maria autem conseruabat omnia verba hæc in corde suo, ita & tu quicquid ab ecclesiæ sanctæ doctoribus prædicari audieris, in intima cordis aure reconde, veluti pretiosum vnguentum in pixide, quo postea opportune vtaris ad tuam aliorumque salutem. Quod si terra bona fueris, non petrosa, non spinis obsita, susceptum verbi semen habebis tibi fructum faciet: & sicut didiceris, ita & operari incipies, ac secundum legis euangelicæ præcepta reliquum vitæ cursum dirigere studebis. Alioquin neque legere, neque audire proderit si ab ijs quæ præcipiuntur, morum conditio discors erit. Et si nosse desideras quantum ignauus auditor & impiger inter se differant, audi in euangelio dominum dicentem: Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis cui similis sit: Similis est homini ædificanti domum qui fodit in altum, & posuit fundamentum supra petram, inundatione autem facta, illi sum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere, fundata enim erat supra petram. Qui autem audit, & non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Sicut ergo infirmus & imbecillus est qui non facit opera, ita ad omnem malignæ tentationis impetum constans est & stabilis, qui assidue in bonis operibus exercetur. Quamobrem sollicite nos admonet Iacobus apostolus, & ait: Estote factores verbi & non auditores tantum, fallentes vosmetipsos, quia si quis au-

Psal. 118

Luc. 2

Luc. 6

Lucæ. 11

Lucæ. 10

Iohan. 8

1. Iohan. 4

ditor est verbi & non factor, hic cōparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; considerauit enim se & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit: q̄ autem perspexerit in lege perfectæ libertatis, & p̄manserit in ea, non auditor obliuiscus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Ideo quidem & dominus in euangelio; Beati inquit, qui audiunt verbum dei & custodiunt illud. Hanc itaque beatitudinē opere magis quam audiōne constare ostendit, dum subiungit: & custodiunt illud. Custodiunt autem illud, q̄ bene beateque viuendi rationem edocti, peccatis in quibus hactenus fuisse se recognoscunt finē statuunt, & ab his per penitentiam resilientes ad capeſſendas virtutes disponuntur, magnamque capiunt voluptatem vel legendo diuina vel audiendo. In quo Mariam ad pedes domini sedentem diligenter obserua, tantaque perfusam sermonis eius dulcedine, vt nulla sororis Marthæ interpellatiōe inde mota sit; & quoniam toto corde cælestis magistri amplectebatur disciplinam, optimam partem dicitur elegerit, quæ non auferetur ab ea. Christum enim elegerat, in cuius vnus contemplatione tam suauiter quiescebat. Quotus autem quisque est, qui sic in ecclesia sacris prædicationibus interesse nititur, vt præcepta vitæ absque operatione non elabi sinat? alius nullo amoris affectu illa suscipit, alius tametsi donec audit aliquantulum compungitur, mox tamen inde discedens ad consuetas nequitie sordes reuertitur, tanto nequior factus, quanto inexcusabilior. Talibus dicit dominus: Qui ex deo est, verba dei audit, propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Non ergo omnes qui in auditorio sunt, audiunt verbum dei, sed is qui illud quod audit, opere perficere contendit, & hic quidem ex deo est, illi vero non ex deo, sed potius ex diabolo sunt: qui diaboli obstinationem duritiamque imitantur, nec omnino a vitijs resipiscere quicquam pensi habent. Itidem tibi diuini prædicatores cum Iohanne apostolo respondebunt, si eorum monita contempseris, dicentes, Nos ex deo sumus, qui nouit deum, audit nos, qui non est ex

deo, non audit nos. Omnes natura ex deo sumus, vitio autem nostro fit vt ex deo non simus. Porro dici non potest, quam pessime cum homine illo agitur, qui cum dei creatura sit, iam non dei, sed aliorum esse conuincitur.

De contemplatione. Ca. xxvi.

Quoniam autem in scripturis alia ad actionem pertinent, alia ad contemplationem, tempestiuum videtur, vt ista quæ sub fidei titulo explicauimus, contemplandi ratione claudamus. Igitur ad consideranda dei opera puritate mentis opus est, vt autoris dulcedinem fidelis considerator valeat degustare. Quis enim ascendet in montem domini, aut quis stabit in loco sancto eius, nisi innocens manibus & mudo corde? Illos ergo magis ad hanc rem idoneos esse certum est, qui vitæ probitate perfectioni euangelicæ propius accedunt. Hinc apostolis ipsis datur nosse mysterium regni dei. Hinc Paulus ad tertium vsque rapitur cælum. Hinc Iohanni futura quibus referta est Apocalypsis, reuelantur, & vnica sanctæ trinitatis diuinitas in principio sui euangelij declarata plenissime innotescit. Idcirco saluator noster illum, quem a dæmonio liberauerat, continuo volentem sibi adherere non permisit, sed prius vt se exerceret iussit, alijs prædicando dei beneficium quod acceperat. Necesse autem est vt sanctis actionibus quam sæpissime copuletur, & pene assidua comes sit pia contemplatio, si in his vt debemus, perseverare atque proficere cupimus. Sicut enim bene operando acquiritur vt recte contemplemur, ita contemplando, vt sanctius officiosiusque operemur. Nichil quippe ita mouet atque allicit animum ad colendum omnium autorem deum, vt opera eius cogitatione percurrendo beneficiaque perpendendo, quæ omnem taxationem supereminent & excedunt, immensa atque infinita, eoque magis optanda ac desideranda, quæ minus humano ingenio explicari cõphendique possint. Ad illa ergo consurgat animus terrenis negotijs expe

Psal. 23

Mar. 5.

Psal. 76

Psal. 103

ditus, & non solum ea quæ oculis cernimus, sed etiam quæ intellectu percipiuntur cogitet. Verûtamen ab his quæ videntur incipiat, vt quasi per gradus ascendendo ad ea quæ non videntur queat peruenire. Primum itaque cum propheta ad deum conuersus dic: Meditabor in operibus tuis. Quæ nam sunt opera ista? terra, mare, cælum, quorum ille admiratione captus in eam tandem prorupit vocem. Quã magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti. In medio enim firmasti terram sua mole libratam, partim aridam, partim aquis circumfusam, collocaisti tã varia in mari piscium genera, quam in sicco quadrupedum pedibusq; cauentium reptilium, & supra terram aerea permeantiũ volucrum, produxisti de terra tot frugum species, tot arborum, tot lapidum, tot metallorum, & qui his vteretur, præstantissimum inter animantia hominem. Tuum opus sunt cælestia, sol, luna, stellæ, quarum cursus, naturas, formam, decoremque oculis intuemur, & tamen qua materia consistunt, dicere nequimus. Tu cælum quo omnia ista circundantur extendisti, quod statutis initio reuolutionibus, perpetuo moueri ac circumferri videmus quemadmodũ cætera omnia, et nos soli (proh nefas) legem tuam toties præterimus. Miramur præterea nubes pendere, ventos concitari, micare ignes, fulmina ruere, pluuias, grandines, niuesque defluere, & tellurem ab ijs irrigari, quæ singula si digne considerentur, tantum admirationis habent, vt non solum dei sapientiam, a quo facta sunt testentur, sed eiusdem potentiam, qua nihil potentius, & bonitatem, qua nihil melius possit excogitari. Ille homines corporeos, ille incorporeos angelos fecit, vtrosque ad fruendam cælestis regni beatitudinem benignissime constituens. Ex his tamen non parua pars per arbitrii libertatem suo aduersata est creatori. Inter quos angeli cum peccassent, a tãto bono diuina largitate sibi collato excidere. Itaq; protinus de cælo præcipitati, & in intima corruentes irreuocabili damnatione puniti sunt. Homini autem quam diu in corpore viueret, quia ignorance magis quam

malitia peccauerat, datus est pœnitentiæ locus, vt quod seductus male appetendo commisit, dolendo emendaret. Sed tamen pristinae gratiæ statû recuperare de radice corrupta geniti nequiuimus, donec ille qui non p copulam carnis, sed de virgine intacta per spiritû sanctum est natus, in mûdum veniret, & nos corporis sui sacrificio expiatus deo patri reconciliaret. Exinde credentibus atque pœnitentibus cœlû patere cœpit. Quod si quis a malo, quod deinceps commisit, non se correxerit, atque ita obierit, ipse quoque cum reprobis spiritibus pœnis mancipabitur sempiternis. Tunc enim quisque ratam iudicis in se sententiam accipit, cum de corpore egreditur, iterum postea cum corpore simul iudicandus, cû mortui resurgent viui, & canente tuba throni positi erunt, vt quisque illud quod viuendo meruit præmium consequatur. Hinc demum neque beatorum gloriæ vllus vnquam erit finis, neque supplicij iniquorum. Atque hæc sane sunt nouissima illa, quorû nos memores esse iubet Salomon ne peccemus. Nihil enim vel peccandi appetitum magis frenat, quam futuræ damnationis metus, vel ad virtutem magis excitat, quàm mercedis promissæ spes, vt igitur probe innocenterque viuas, imitare prophetam dicentem, Cogitavi dies anti-

Psal. 76

quos, & annos æternos in mente habui. Antiqui sunt dies, qui prætereunt, & ad præsentis vitæ breuitatem pertinent, anni & æterni ad vitæ futuræ infinitatem spectant, & si finiti ad infinitum nulla est comparatio, cur quæso pro breuibus delitijs amittimus æternas, & nõ potius cum breui labore transimus ad quietem gaudiij perennis? Conscij igitur fragilitatis nostræ, nec per se bonum quod cupimus valentes perficere, leuamus oculos ad montes cum psalmista, & mente cœli culmina penetremus. Inde veniet nobis auxilium a domino, q̄ fecit cœlum & terram & omnia. Non possumus recte de illo aliquid speculari, nisi ab ipso adiuti, qui que nobis relicti retro labimur, dei ac domini nostri ope subleuati vsque ad thronum maiestatis eius perueniemus. Ad contemplandam itaq; diuinitatis altitudinem, dic cum

- Pfal. 24** propheta: Ad te dñe leuauī animam meā, deus meus in te confido. & tunc fiet quod in alio psal. dicit: Accedet hō ad cor altum & exaltabitur deus. Quā tam alte accedere, vel tam profunde de deo cogitare, nequimus, quin ille semper omni meditatione nra in immensum maior sit, exaltatur tñ in nobis, quoties quæ vera sunt de ipō sentimus, & quæ admodū sentimus, ita nec palā confiteri metuemus. Deum autem sicuti decet contemplantibus multa interdum infundit spiritus sancti suauitudo, qua delectatus propheta orabat, dicens: Lætifica animam serui tui, quia ad te domine animā meam leuauī, quia tu domine suauis & mitis & multum misericors omnibus inuocantibus te. Hac ipsa cælestium meditationum iucunditate temperari calamitatū suarum incerorē humilis Iob optabat, cum diceret: Quis mihi tribuat vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsq; ad solium eius? Tutissimum sibi refugiū ratus in miseris celsitudinis diuinæ contemplationem. Qui enim cælestis æternitatis bonum mente completur, caduca omnia facile contemnit. Quosdam talis meditatio in tantum occupat, vt abstracti a sensib⁹ toto corpore obstupescant, mortuisq; simillimi appareant, cum per dies multos nihil de necessitatibus corporis curantes immoti mutiq; perdurent. Id Græci extasim, nostri stuporē appellant. Hunc passus Paulus transcendit cælos & audiuit arcana verba, quæ nō licet homini loqui nescireq; se fatetur, vtrum cum corpore an extra corpus raptus fuerit, cum id sibi contigisset. Iohannes quoq; in Apocalypsi se in spiritu non in corpore fuisse ait cum dñm vidit. Et cum vidissem eum (inqt) cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Sed quo viso per se stare non poterat, ab eo erectus mirabili mysteriorum visione perfrui cœpit. Diuus quoq; Hieronymus noster hanc se gratiam a domino quandoq; accepisse gloriatur, vt secessu quodam mentis & angelorum choris interesset, & nescio quibus oculis in vno deo videret trinitatem, ac per hebdomadam vel plurium dierum spatium de corporeis nihil curaret, sibiq; tandem
- Pfal. 35**
- Iob. 23**
- 2. Cor. 12**
- Apoc. 1**

redditus, eorum quæ viderat desiderio recordatione
 q̄ afficeretur & fieret. Nouit ergo dominus eis q̄s ele-
 git, etiam ante mortem suæ dulcedinis mella deliban-
 da porrigere, quæ tunc plenis poculis p̄pinaturus est,
 cum illos omni prorsus terrenæ labis fece deterfa ad
 se sursum iusserit venire, & sanctorum ciues ac suos do-
 mesticos fieri beatos in æternum futuros.

De loco & tempore contempla-
 tionis Cap. XXVII

Cæterum & locum aptum, & tempus huic rei
 congruum obseruare debemus. Tunc em̄ mens
 liberius intentiusq̄ contemplationi suæ inhæ-
 ret, cum a turba secedimus, & nemine interpellante so-
 li in solo loco sedemus nihil aliud agentes, nihil curan-
 tes, eis tantū rebus intenti, quas animo volumus men-
 teq̄ versamus. Ob hoc pleriq̄ relictis vrbibus deserta
 & solitudines incolunt, existimantes non posse se com-
 mode cum deo simul & hominibus esse, colloquijs em̄
 eorum cælestis cōtemplationis ardorem interceptum
 frigescere, in secessu vero indies magis accendi solere.
 Tempus præterea nocturnum maxime accommodum
 videtur. Tunc siquidem omnia animantia quiescunt,
 neq̄ hominum neq̄ pecudum vox auditur, nec auctu-
 larum garritus auribus obstrepit, nihilq̄ sentitur, q̄d
 mentem cæli secreta rimantem grauet, aut quicq̄ mo-
 lestat. Hoc tibi affirmat psal. dicens, Meditatus sum in
 nocte cum corde meo, & scopebam spiritum meum.
 Summū etiam mane, dum adhuc nox dubia & dies in-
 certus, quod crepusculum appellant, nō minus erit op-
 portunum q̄ nox ipsa. Nam tunc quoq̄ nocturnū silen-
 tium adhuc perdurat, & quod plus est, discussio iam so-
 pore ciboq̄ digesto syncerior animus ad q̄q̄ cōsideran-
 da viuaciorq̄ consurgit. Vñ idem p̄pheta in alio psal.
 ait, Præuenerūt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer
 eloquia tua. Sed interim neq̄ nos fortasse quicq̄ mussi-
 tare optet dum cōtemplamur. Loq̄ntis em̄ meditatio,
 oſo nuncupat, sicut & legentis lectio, & audientis au-

Psal. 76

Psal. 119

Thre. 3

ditio. Nam licet etiam orādo, legendo, audiendō pen-
semus æstimemusque ea quæ dicuntur, proprie tamen
contemplatio ipsa est, quæ cum silentio, & neque sen-
suum, neque corporis, sed sola mentis agitatione per-
ficitur. De huiusmodi contemplatione in Ieremia scri-
ptum est, Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se
supra se. Veruntamen præ omnibus, quæ pijs animis re-
colenda & contemplanda sunt, expediens erit redem-
ptionis nostræ ruminare, mysteria, & eadem quæ sæ-
pissime ad memoriam reuocare. Quanto enim maius
beneficium fuerit, tanto illud rememorando magis er-
ga benefactorem amore accendimur. Primorum par-
tum præuaticatio, de paradisi delitijs omnem ipsorum
expulerat posteritatem, eademque damnationis lege si-
mul omnes premebamur. Misertus autem deus filium
suum misit vnigenitum, qui vt pro nobis satisfaceret,
carnem suscepit serui, cum esset omnium dominus. viā
veritatis demonstrauit, cum totus terrarum orbis præ-
ter Iudæam, impię religionis erroribus plenus foret.
Mortis æternæ obnoxij eramus, ille vltro se morti cru-
cis obtulit, vt nos a morte liberatos ad felicia vitæ pro-
missa reuocaret. Mortuus & sepultus resurrexit, cælum
que cum homine assumpto ascendit, vt homines de ter-
ræ puluere tandem surrecturos monstraret, & cū cor-
pore iam neque mortalitati neque corruptioni subie-
cto, sicut nec ille subiectus est, cælum petitorios, si mo-
do ipsum sequi fide opereque voluerint. Igitur tantū
ac talis beneficii magnitudinem animo meriendo, quis
adeo ingratus erit, vt potius eligat illa, quæ caro appe-
tit, quæ mundus blanditur, quæ suadet diabolus, quam
quæ omnium creator deus, omnium redemptor ac sal-
uator Christus iubet? cum præsertim per ista mundati
ad cæleste regnum perducamur, per illa autem æterni
ignis cruciatibus mancipandi simus. O stupendam ob-
stinatorem cæcitatem. In tanta, temporis breuitate no-
lunt carere voluptatibus, per quas certissimum est ad in-
feros præcipitium, & laborem tā modici tēporis defu-
giunt, per quem aditus ad supernam beatitudinem ve-

ssime comparatur sine fine fruendam.

¶ De prauis cogitationibus cauendis.

Cap. XXVII.

Quantum autem ad bene beateq; viuendū cō-
ferre solet diuinarum rerum contemplatio,
tantum ad male agendum alliciunt cogitati-
ones prauæ. Quæ cum etiam inuitis nobis & nolenti-
bus frequenter obrepant, quanto violentiores putas
fore, si quando victus manum dederis, qui nunc repu-
gnas? Mihi crede, nisi semper bellum cum illis quam
pacem malueris, per sensuum tuorum ianuas ad ani-
mam vsq; ingredientur, & per blandimenta eam sub-
uertent, subuersam interiment. Anima enim mala co-
gitatione fecunda, parit peccatum: peccatum vero cum
perpetratum fuerit, generat mortem. Igitur tametsi
aduersarius hic noster, id est, perniciosus cogitatus
non potest sic penitus repelli & in fugam conuerti, qn
rursus aliquando collectis viribus in prælium rede-
at, mentisq; nostræ arcem oppugnet, portis instet: do-
nec tamen intus non irruerit, ac dominari cœperit, tu
ti sumus: nec verendum est ne forte per vim irrumpat:
neminem vincit nisi volentem. De illis duntaxat, qui se
in potestatem eius non inuite dedunt, triumphare con-
suevit, & eos ad interitum vsq; perducere. Nihil itaq;
aliud est, impuræ cogitationi totum animi assensum præ-
bere, quam ab hoste nobis infensissimo sanguinisq; no-
stri in primis cupido superari velle. Manifesta autem
stultitia est, et sponte cedere, a quo nil nisi necem spe-
res. Hoc tibi testatur Salomon dicens: Qui cogitat ma-
la facere, stultus vocabitur. Ac ne forte de furioso, cu-
ius error excusatur, dictum putares, continuo intulit:
Cogitatio stulti peccatum est. Stultus ergo, nec rāmen
excusabilis, peccator erit, qui quicquid appetitio sug-
gesserit, illud protinus curabit sequi: & carni magis
quam spiritui seruire decernet. Quæris quonam pacto
non solum in factis aut dictis, verum etiam in ipsa co-
gitatione possit esse peccatum? Rem alienam iniuste cō-

Iaco. i.

Proue. 24.

F

cupiscis, bonum alterius inuides, læsus vindictam appetis, visæ mulieris venereo amore turpiter exardescis, & quodcumque malum ita cogitas, ut si posses, proficere velles, ab illo quæ etiam occultorum iudex est, pro facto tibi imputabit. Aliter enim deus, aliter homo iudicat, deus quem nihil latet, in omnibus voluntatis affectum perscrutat: homo vero, quia cordis alieni secreta rimari nequit, commissum tantummodo crimen examinat, nec quaerit, prudens an imprudens feceris aliquid mali, sed semper tantum voluntarium punit. Denique apud deum qui odit fratrem suum, homicida est, apud homines vero non habet pro homicida, nisi qui conficit hominem. Apud deum qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mæchatus est eam in corde suo, apud homines nisi commissi adulterii conuictus fuerit, pro concupiscentia quæ cordis crimen est, plecti non debet. Sed quid prodest, pro cogitato flagitio humanæ legis multam non subire, cum propter illud iudicio damneris diuino, & æterni reus habearis supplicii? Lex diuina uxorem proximi, bouem, ancillam, & quicquid illius est, concupiscere prohibet, si concupieris tantum, legem dei peraricatus es, qui autem sic peccat, nisi eum penituerit, non penam temporariam meretur, sed æternam. Ideo in sacris literis est scriptum, Peruersæ cogitationes separant a deo. Et iterum, Abominabile domino cor prauum. Quod si beati sunt mundo corde, quia deum videbunt, profecto quæ immundæ cogitationis fœditate inquinantur, deum videre non poterunt. Quis autem dicere queat, quæ sit infelicitas illius desperare conspectum, in quo vno videndo omnis nostra beatitudo consistat? Quamobrem totis viribus est cauendum, ne cum tanto animæ nostræ dispendio, illicitæ cogitationis laqueis irretiamur, et dominus, cui nihil est absconditum, sicut olim Iudæis, ita etiam nobis exprobet, dicens. Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Primo suggestioni lasciuientium cogitationum erit resistendum, ne placeant, deinde si quicquam deleuerint, ne eatenus gratæ sint, ut usque ad consensum facti animam inclinent. Quod si euenerit, iam certe com

Sap. 1.
Prou. 11.

Mat. 9.

missi scelus illud, quod cogitasti ut committeres, si adesset facultas, dareturque occasio. Quoties enim iniquæ actionis adimplendæ potestas tollitur, voluntas peccandi pro facto habetur. Cum ergo se nobis noxiæ perniciosique ingerent cogitatus, præteruolare præter que labi sinantur. Non habebunt in corde nostro ullum remorandi locum, si contraria illis cœperimus cogitare, & vitii virtutisque finem taciti perpendere. Brevis est vitiorum voluptas, sed æternum supplicium. Brevis est virtutis exercendæ labor, sed inestimabile & infinitum præmium. Faceat igitur malignæ cogitationis mortifera delectatio, quæ incautos in barathrum præcipitat inferni. Maneat autem diuinorum operum diuinarumque legum meditatio salubris, quæ nos ad cæleste regnum transmittat, & sanctorum angelorum faciat esse consortes. Veruntamen si ad puræ contemperationis donum cupimus peruenire, non solum sceleris cogitationes vitandæ erunt, sed etiam futiles ac vanæ. Vana cogitatio est circa ea quæ fluxa atque fragilia sunt, nec quæquam in se solidæ utilitatis habent. Imprudentis est igitur de bonis corporis aut externis cogitare, quæ permanere nullo modo queunt, & æterni ac stabiliis boni, ad quod fruendum creati ac nati sumus, non satis recordari: cum præsertim hoc haberi non possit, nisi illa contemnantur: neque libere & expedite de hoc aliquid considerari, nisi illa ferme obliuiscantur. Quandoquidem omnia relinquere & se solum sequi iubet eos dominus, qui inter ipsius discipulos censerî desiderant. Sola itaque de deo cogitatio vana esse non potest. Ideo Salomonis te sapientia hortatur, & ait: In omnibus vis tuis cogita dominum, & ipse diriget gressus tuos. Prou. 3
Aliud vero cogitantes, vanitatis arguimur, dicente propheta: Dominus scit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Confecta est prima propositi opis pars, Psal. 93
quam titulo Fidei applicandam censuimus: nunc de spe, & quæ illi magis arbitrabitur conuenire, spiritu sancto instruente disseremus.

Libri I. finis.

5 1